



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Ivstitia Et Ivre ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus

Lessius, Leonardus

Antverpiæ, 1632

Capvt XXXV. De Simonia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72459)

CAPVT XXXV.

De Simonia.

Constat Dubitationibus 31.

D.Thomas quaest. 100.

ET si simonia sit peccatum oppositum religioni, tamen visum est de ea proximè post beneficia tractare, eò quòd potissimum in praesentationibus, electionibus, postulationibus, collationibus, resignationibus, & permutationibus beneficiorum locum habeat. Primum dicemus de simonia secundum se. Deinde de praecipuis modis in particulari, quibus fieri solet. Tertio, de poenis eius.

DUBITATIO I.

Quid simonia.

D.Thomas art. 1. quaest. 100.

¹
Dicitur simonia à Simone mago ob tres causas.



NOTANDVM est, simonia peccatum à Simone mago nomen accepisse, idque ob tres causas.

Primo, Quòd ille primus tempore noui Testamenti legatur hoc crimine infectus fuisse, Actor. 8.

Secundo, Quòd grauissimè inter omnes antiquos hoc genere peccati peccauerit: voluit enim emere pecunià donum illud & potestatem admirabilem visibiliter conferendi Spiritum sanctum, idque eo fine vt ipsum Spiritum sanctum postea venderet; vt docet diuus Augustinus tract. 10. in Ioannem. *Volebat, inquit, emere Spiritum sanctum, quia vendere volebat Spiritum sanctum;* & colligi potest ex c. 8. Actorum. Priores autem solùm rem spiritalem creatam vendiderunt, vt Balaam suam prophetiam, Num. 12. & 23. Giezi minister Elisaei sanantem diuinitus concessam, 4. Reg. 5.

Tertio, Quia Simon videtur etiam pertinaciter sensisse hoc ipsum esse licitum, ac proinde fuisse haereticus hac in re: quod insinuat D. Ambrosius l. 2. de poenitentia cap. 4. & habetur 1. quaest. 1. can. Petrus. videtur autem hoc vitium maximè coepisse vocari nomine simoniae tempore Gregorij I. qui etiam vocat illud *haeresim simoniacam*, nempe quia est exterior quaedam professio haereticis seu prauae opinionis; (sicut imaginum deturbatio & conculcatio est professio haereticis internae) praesertim si publice & sine pudore fiat, sicut fiebat in Galliis tempore Gregorij, vbi palàm pro collatione ordinum exigebatur pecunia, vt constat ex registro epistolae. no. 113. & 114. Priores tamen Patres vocant illud passim vitium Simonis, vt Chrysostomus, Ambrosius, & Nazianzenus. vide plura testimonia 1. quaest. 1.

²
Est contra religionem.

Notandum Secundo, Simoniam esse vitium contra virtutem religionis, consistens in rerum sacrarum indigna tractatione, non qualibet; (variis enim modis indignè tractari possunt) sed qua res sacrae tamquam profanae aestimantur, & in contractus deducuntur: haec enim est magna in Deum, à quo sanctitatem habent, irreuerentia: quae vocatur simonia. Vnde patet simoniam esse speciem

facilegij, qua res sacra indignè tractatur, dum pretio temporali aestimatur, & in contractum deducitur. Solet autem sic definiti:

Simonia est studiosa voluntas emendi vel vendendi pretio temporali aliquid spirituale, vel spirituale annexum, sic Glossa in cap. 11. Qui studet. 1. q. 1. passim à DD. recepta. solum additur à DD. pretio temporali, maioris explicationis causà. Haec definitio habet quatuor partes.

Prima, *Studiosa voluntas*, id est, deliberata; vt excludantur motus voluntatis non plenè deliberati, vel procedentes ex ignorantia inculpata. loquimur enim de peccato simoniae in sua specie perfecto.

Secunda, *emendi vel vendendi*; quibus verbis significatur omnis omnino contractus non gratuitus, siue sit vera emptio, siue locatio, siue permutatio, &c.

Tertia, *Pretio temporali*; si enim detur spirituale pro spirituali, non erit proprie simonia, vt infra dicitur. turpitudine enim huius peccati consistit in eo, quòd spiritualia aestimantur pretio humano vel re aliqua humana, quae sit pretio aestimabilis.

Solet autem à DD. triplex pretium distingui, ex cap. 8. Saluator. 1. q. 3. *Pretium muneris*, vt pecunia, equus, bos, vestis, & similia vendi consueta. *Pretium lingua*, vt laus & vituperatio, patrocinium aduocati, commendatio apud Principem: hoc enim officium est pretio aestimabile. *Pretium obsequij*, vt ministerium aliquod in rebus temporalibus, vt est famuli, oeconomi, &c.

Quarta, *Aliquid spirituale, vel spirituale annexum*; quia res merè temporalis non est materia simoniae; illius enim commutatio non est contra reuerentiam rebus sacris debitam. Hinc patet, malitiam huius vitij in eo consistere, quòd iniuria quaedam & irreuerentia fiat rebus sacris, atque adeò ipsi Deo, dum tanquam res temporales pretio aestimantur, & contractibus subiiciuntur.

Spiritale hic vocatur non omne aut solum incorporeum; sed quod est aliquo modo supernaturale, siue sit aliquid reale, siue morale tantum, siue in modum actus, siue in modum habitus. talia sunt virtutes supernaturales, gratiae praeuinentes, gratiae gratis datae, Sacramenta, consecrationes, benedictionesque Ecclesiae, & omnis vsus potestatis supernaturalis.

Spiritali autem annexum est, quod cum aliquo spirituali connexionem habet: quod tripliciter fieri potest; antecedendo, consequendo, comitando. *Antecedendo*; vt Ius patronatus; quia supponitur praesentationi beneficiorum. Item secundum quosdam, vestes & vasa sacra, templa, altaria; quia referuntur ad sacrificium Missae. *Consequendo*; vt beneficia Ecclesiastica, quia supponunt officium diuinum. *Comitando*; vt labor in ministerio Sacramentorum.

Petes, Quare sola supernaturalia censentur esse materia simoniae?

Respon-
materia.

Respondeo, Quia cum hæc naturâ suâ sint ta-
lia, vt humana industria non possint comparari,
sed solum diuino munere gratis concedi; magna
irreuerentia est, si pretio, sicut aliæ res humanæ
æstimantur: quod locum non habet in ijs, quæ natu-
raliter possunt haberi; etiam per accidens alicui
supernaturaliter infusa sunt, vel post amissionem
restituta; vt si alicui sit infusa ars mechanica,
vt Beseleel; vel oculi amissi diuinitus restituti.
Non enim quia aliquid diuinitus acceptum est,
ideò efficitur inuendibile, sed quia est ordinis su-
pernaturalis, nullis causis naturalibus compara-
bile, & directè concessum à Deo ad animarum
conuersionem & salutem supernaturalem. Vnde
etiam fama & vita non sunt pretio æstimabilia, ta-
men quia sunt bona humana ordinis naturalis,
non debetur illis ea reuerentia, vt non subijciantur
pretio & pretio temporali. Nam vita licet pecu-
nia redimitur, & homines emuntur in seruos,
& fama interdum interuentu pecunie vel compa-
tatur, vel recuperatur.

7 Ex his sequitur Primò, Non esse simoniam,
vendere doctrinam vel notitiam cuiusvis veritatis
naturalis industria comparabilis; vt rectè docet
Sotus l. 9. q. 5. art. 1. Victoria, de simonia, relect. 1.
num. 5. & Adrianus quodlib. 9. art. 1. vbi id fusè
probat, & citat Durandum, Richardum & Palu-
danum. Est contra Altiisiodorenses 3. p. quæst.
paul. de simonia. & Alex. Halensem 2. p. q. 185.
num. 3. qui dicunt scientiam vendi non posse, quia
est inæstimabilis pretij; sed solum laborem qui
in docendo ponitur. Sed probatur Primò, Quia
naturalis industria paratur, & ex causis naturali-
bus illa cognitio oritur. Secundò, Quòd quis est
doctior, eò maius stipendium potest exigere, &
tamen minus laborat: quod est signum, æstimari
scientiam ipsam. Tertio, Idem patet ex eo, quòd
pro sublimiori doctrina maiora solent peti stipen-
dia; quòd tamen non liceret, si vendere doctri-
nam esset simonia.

Nec refert, quòd sapientia non possit auro æsti-
mari; quia sapientia non solum pendet ab alterius
doctrina, sed etiam à lumine interno. Deinde etiam
secundum naturam suam non possit auro conferri;
tamen ratione quorundam conditionum an-
nexarum, quæ æstimantur apud homines, vt sunt
voluptas cognitionis, dignitas apud homines, vti-
litas temporalis inde proueniens, potest sine iniu-
ria auro conferri. Simili modo, homo secundum
naturam suam est præstantior toto mundo, tamen
ratione utilitatis temporalis ex illo proueniens,
potest pretio vendi.

8 Sequitur Secundò, In statu nudæ naturæ non
futuram fuisse simoniam propriè dictam; quia
nihil ibi fuisse supernaturale. Similiter nec apud
Iudæos modò, nec apud Infideles est vlla vera si-
monia in venditione rerum sacrarum; nisi ex con-
scientia erronea, qua existimant se vendere rem
sacram; (sicut Ieroboam vendens sacerdotia ex-
cellorum, 3. Reg. 13.) cum nihil sit apud ipsos ve-
rè sacrum aut supernaturale. In statu tamen nudæ
naturæ potuisset esse aliquid affine simoniam; nam
fuisse ibi verus Dei cultus, veri Sacerdotes, sa-
crificia & sacrificandi instrumenta, quæ nonnul-
lam habuissent sanctitatem, in morali quadam
deputatione constitutam, quam pecuniâ æstima-
re, nonnulla videretur futura fuisse irreuerentia.
Potest etiam Ethnicus committere veram simo-

niam in rebus Christianorum, vt si venderet Ba-
ptismum, aut vasa sacra propter consecrationem.

9 Sequitur Tertio, Non esse simoniam, dare alicui
beneficium ob amorem humanum; vt quia
sanguine vel amicitia iunctus, &c. quia nullum
intercedit pactum pro pretio. Similiter nec ob
timorem; vt si des alicui beneficium ne tibi no-
ceat, modò pactum non interueniat. Quòd si pa-
ctum interuenierit, dubium est, de quo inf. d. 2. r.
Negari tamen non potest, quin nonnulla sit in sa-
crum officium irreuerentia, si beneficium ob ami-
citiâ humanam vel similem causam detur; magis
que spectentur causæ priuatæ, quàm bonum
Ecclesiæ.

10 Sequitur Quarto, Non esse simoniam, quando
Sacerdos prætat ministeria sacra, etiam principa-
liter, ob lucrum temporale; modò nullum pactum
tacitum vel expressum interueniat: quia ratio si-
moniam consistit in pactione & contractu, secun-
dum communem sententiam Doctorum.

Nec obstat, quòd D. Thomas quodlibet. 8.
art. 10. contrarium sentire videtur in calu propo-
sito; quia in Summa videtur mutasse sententiam;
cum ad simoniam requirit pactum; vt patet art. 1.
ad 5. Potest tamen dici latè simonia, quia qui æsti-
mat ministerium spirituale ex utilitate temporali,
magnam irreuerentiam in illud committit, & fa-
cile ad contractum descenderet.

11 Sequitur Quintò, Non esse simoniam, si quis
animo non quidem verè emendi aut soluendi, sed
decipiendi duntaxat, promittat aliquid tempo-
rale pro beneficio; vt rectè Caietan. opusc. 9.
quæst. 2. tom. 2. & Sotus l. 9. quæst. 8. art. 1. Idem
sentit Toletus l. 5. cap. 90. ratio est, quia ille non
habet voluntatem verè emendi, sed mendacio
decipiendi. peccat tamen, tum quia alterum in-
ducit ad simoniam; tum quia externum opus si-
moniacum facit. Potest tamen beneficium sic ob-
tentum retinere, si à legitimo collatore sit colla-
tum, vt ijdem DD. tradunt, & fatetur etiam Na-
uarrus cap. 23. num. 136. quamuis velit esse simo-
niam conuencionalem.

DYBITATIO II.

Verum omnis venditio aut commutatio re-
rum spiritualium pro temporalibus, sit
simonia iure diuino prohibita.

12 Notandum est, rem aliquam in proposito
posse dici spiritualem vel sacram, ita vt sit
Quatuor materia simonia, quatuor modis. Primò, Quia ta-
lis est naturâ suâ; vt sunt omnes supernaturales
virtutes, & gratiæ præuenientes, & omnes gratiæ
gratis datæ, siue consistant in habitu aliquo, siue
in quadam assistentia Spiritus sancti. Secundò,
dicuntur sacra; Quia sunt causa sanctificationis;
siue effectiua, vt Sacramenta; siue dispositiua &
excitatiua, vt sacramentalia, concio, preces, exor-
cismus. Tertio, Quia sunt effectus vel usus sacræ
potestatis, vt excommunicatio, absolutio, bene-
dictiones, & consecrationes, quas facit Ecclesia;
quamuis hæc etiam possint dici sacra secundo
modo. Item prophetare, miracula facere; quia
sunt operationes potestatis supernaturalis. Quar-
tò dicuntur sacra solum, Quia annexæ sunt rebus
sacris, idque vel propriè, vt beneficia, Ius patro-
natus,

natus, Ius eligendi: vel improprie, vt officium sacrista, officium oeconomici Ecclesiae.

13 Notandum Secundò, In quibusdam rebus spiritualibus esse aliquid temporale, secundum se pretio aestimabile; vt in calice consecrato, in beneficijs: in quibusdam nihil esse tale; vel si quid sit, minimi est pretij; vt in Eucharistia, in Baptismo.

14 Dico Primò, Omnis venditio & commutatio rerum spiritualium cuiusvis generis pro pretio temporalis; si in ea habeatur ratio consecrationis, vel eius quod supra naturam est, est simonia Iure diuino prohibita: vt si quis vendat Sacramenta, vel sacramentalia, vel functiones potestatis spiritualis: vel si pluris vendat calicem consecratum, quam non consecratum; globulos benedictos, quam non benedictos: idque non ratione laboris vel sumptuum, quos fecit vt curaret benedici, sed ratione benedictionis. est communis sententia Doctorum, D. Thomae quaest. 100. art. 2. Durandi in 4. d. 15. q. 5. Richardi eadem distinctione circa tertium principale q. 1. Adriani quodlibet. 9. ar. 1. Victorii relect. de simonia nu. 15. Soti lib. 9. q. 5. ar. 2. Nauarri cap. 23. num. 99. & 100. & aliorum.

Probatur Primò ex Scripturis, 4. Reg. 5. Giezi diuinitus punitur lepra, quòd ausus fuerit pecuniam pro curatione leprae per miraculum facta exigere. Matthaei 10. *Gratis accepistis, gratis date.* hic Apostoli iubentur functionem doni miraculorum & sanitarum gratis praestare; quia illud donum gratis acceperant: atqui cetera omnia supernaturalia gratis accepta sunt: ergo gratis dari debent.

Vbi Aduerte, causam cur gratis dare debeant, non esse praecise quia gratis acceperunt; (qui enim scientiam vel artem naturalem à Deo infusam haberet, posset eius vltim vendere) sed quia res talis est vt non possit humanà industrià, sed solo Dei munere haberi. & hoc vult Dominus significare illis verbis, *Gratis accepistis*; quasi dicat, donum illud tale est, vt vestra industrià non potueritis assequi, sed gratis vobis concessum est, ac proinde etiam gratis eo vti debetis. Quibus verbis etiam significat, illa spiritualia dona non esse ipsis collata ad temporalia emolumenta, sed ad fructum Euangelij, ad conuersionem & salutem animarum, vt patet ex verbis quae proximè antecedunt: *Enites, inquit, praedicate dicentes, quia appropinquauit regnum caelorum: infirmos curate, mortuos suscite, leprosos mundate, demones eijcite: gratis accepistis, gratis date.* nempe ad hunc finem. Itaque solum ad hunc finem concessa sunt. Vnde ex modo concessionis & sine constar non esse nobis datum dominium istorum donorum, seu ius disponendi de illis vel eorum vtu pro nostro arbitrio, sed solum dispensationem in spiritalem utilitatem proximorum: ergo vendendo iniuria fit Deo; tum quia usurpatur dominium rei ipsius, cuius ipse solam dispensationem concessit; tum quia hoc modo impeditur finis ad quem collata sunt. hoc enim ipso quo aliquid venditur, insinuat non esse quid diuinum supernaturale pertinens ad salutem aeternam, sed rem temporalem & humanam ad commoda huius vitae dumtaxat spectantem. talia enim sunt omnia apud omnes gentes, quae in contractus veniunt. Itaque homines non putarent ista fieri virtute diuina, & desiderio salutis ipsorum, sed arte diabolica, & totum negotium religionis putarent

esse fictitium & ad quaestum comparatum. Vnde 15 patet, hoc praecceptum non esse positium, sed continere Ius naturae, maximè cum in nouo Testamento nulla sint praeccepta diuina posita, praeterquam fidei & Sacramentorum, vt communior sententia Doctorum tenet, & docet D. Thomas quaest. 100. art. 2. in corpore, & art. 1. ad 2. cep. &c. Auctor. 8. *Pecunia tua tecum sit in perditionem* (ait Petrus Simoni mago.) rationem addit, *Quoniam donum Dei existimasti pecunià possideri.* id est, Quia voluisti id, quod sola Dei donatione haberi potest, acquirere pecunià. vbi aperte insinuat esse contra legem naturae. ratio est, quia per talem contractum sic notabilis irreuerentia rei sacrae, & consequenter Deo eius largitori, dum tamquam profana & humanis viribus parabilis aestimatur pecunià; in qua irreuerentia consistit malignitas simoniae.

Petes, Virtum haec simonia sit ita praua, vt mendacium, adulterium, & alia intrinsecè mala.

16 Respondeo, Nomen *simonia* tonare id, quod intrinsecè malum est, non minus quam nomen *mendacium* vel *adulterium*. An autem venditio spiritualium ita sit mala, vt ne per absolutam Dei potentiam concedi possit, est dubium. Verius videtur non ita malum esse, quin aliquando per aliquas circumstantias eius malitia possit impediri. fieri enim potest vt interdum eiusmodi sint circumstantiae, vt prudentis iudicio non censeatur vlla iniuria fieri rei sacrae, etiam si pecunia ad eam obtinendam detur vel exigatur, vt infra dicitur d. 7. modò tamen ipsa res sacra pecunià non aliterur, quasi non pluris valeretur: hoc enim nec per absolutam Dei auctoritatem videtur posse concedi. est enim Deus sit absolutus omnium bonorum spiritualium Dominus: tamen ipse statueret non potest vt non pluris aestimentur quam pecunià: hoc enim intrinsecè inordinationem continet non minus quam loqui contra mentem, vel cognoscere alienam: ipsa enim conditio rerum, quam ex natura sua habent, postulat diuersam aestimationem. vnde id fieri non posset sine iudicio falso & affectu peruerso. Quidam tamen putant, Deum tamquam absolutum omnium rerum Dominum posse per suam absolutam potentiam concedere licentiam captandi quaestum ex vtu talium donorum, v. g. ex vtu gratiae sanitarum vel prophetae, & etiam ex collatione talium donorum, si quis posset ea in alterum conferre. Nam haec omnia etiam temporalia commoda adferunt, v. g. sanitatem corporalem, notitiam vtilem ad negotia humana; quo casu cessaret irreuerentia. nam ille homo vteretur iure suo sibi à supremo Domino concessio, idque secundum illius voluntatem: & tunc illa res non censeretur merè spiritualis, quia non ordinaretur neque concederetur solum ad salutem supernaturalem sicut modò (imò parum vel nihil ad eam tunc valeret) sed potissimum ad commoda temporalia, itaque ex fine censeretur quasi temporalis. Esset tamen huiusmodi licentia conditioni illarum rerum quasi violenta, nec satis diuinae sapientiae consentanea. Multa enim non repugnat fieri sola Dei potentia & auctoritate spectata; quae tamen, si consideretur ratio diuinae sapientiae, & quid illam maiestatem deceat, repugnantiam inuolueret videtur. Sic et si ex parte potentiae nullo modo repugnet Deum assumere in vniorem hy-

posta-

posticam quamuis naturam irrationalem, tamen ex parte sapientia potest repugnare, quia deest iusta ratio, ob quam decore fieri possit.

17 Sed dubium est, Vtrum ea in quibus est aliquid pretio aestimabile, possint ratione illius vendi? De quibusdam nulla est difficultas, vt de calicibus, vestibus sacris, Chrismate, & similibus, quorum materia magno constat antequam consecretur: non enim amittit suum pretium per consecrationem. Sed maxima controuersia est de beneficijs.

An beneficia Iure naturali sint omnino inuendibilia.

Sunt duae sententiae. Prior est ferè communis Theologorum, Beneficia Iure diuino esse inuendibilia: quia ius percipiendorum fructuum est spirituale. Ita Caietanus Tom. 2. tract. 9. q. 1. Victoria, de simonia, num. 42. Sotus lib. 9. q. 7. art. 1. & alij.

Altera est Nauarri cap. 23. num. 108. vbi multis rationibus probare nititur, beneficia quoad partem pecuniariam & temporalem vendi posse à Summo Pontifice, sicut vasa sacra. Eandem tenent ferè omnes Canonistae, secuti Glossam in cap. Ex parte 1. de officio Delegati, & in cap. 1. de simonia.

18 Resp. conciliando sententias.

Respondeo & Dico Secundo, Vtramque sententiam rectè explicatam, veram videri: si enim beneficium consideretur planè formaliter, quatenus est ius fructuum, obtingens per officium sacrum, sic Iure diuino est inuendibile; quia non potest vendi officium sacrum, per quod hoc ius habetur. Simili modo ius decimarum dicitur esse inuendibile, quia non potest vendi ministerium sacrum, per quod hoc ius competit: vendere enim hoc modo ius fructuum, est vendere officium, in quo illud ius consistit. neque Nauarrius id intendit negare. Si verò beneficium consideretur materialiter, nempe pro iure ad illos fructus, qui officio sunt annexi; sic beneficium vendi potest per Pontificem absque simonia Iuris diuini; quia in potestate ipsius est, ius ad illos fructus separare ab officio, & alteri dare, vel relinquere officio annexum. sicut ergo si illud separaret, & alteri venderet, nullam simoniam committeret, quia non venderet aliquid spirituale; sic etiam si aliquam summam pecuniae exigeret ab eo, qui beneficium sibi cupit conferri, vt ius illud titulo annexum relinquat, vel vt separatim illi vniat, nullam simoniam Iuris diuini committeret. haec est mens Nauarri. Idem docet Adrianus quodlib. 9. ad 5. princip. vbi dicit, Beneficia ratione iuris fructuum posse vendi, si Papa intendat vendere ius fructuum non mediante aliquo officio spiritali: secus autem si mediante tali officio. Vnde sequitur, idem posse facere Episcopus absque simonia, nisi Iure esset prohibutum: quia possunt ex causa ius fructuum saltem secundum partem ab officio separare, & illud alteri attribueri. Imò idem aliqua ratione possent priuari, nisi Iura obstarent. seposito enim Iure positio, posset priuatus partem fructuum ad vitam elocare, & beneficium cum reliqua parte in alterum resignare: ac proinde posset etiam aliquid exigere vt beneficium cum integris fructibus resignet; siue vt partem illam fructuum elocatum, sibi non referret. Verum quia Iure statutum est vt non possint villo modo sine auctoritate Superioris ius fructuum in totum vel in partem ab officio seu titulo separare, (vt patet toto titulo, Vt Ecclesiastica beneficia sine diminutione cōse-

19 Quae ratione per Pontificem posset vendi beneficium absque simonia.

rantur) necesse est, vt si resignet titulum, simul etiam censeantur renuntiare omnibus fructibus, ita vt hoc ipso, quo alter accipit titulum, accipiat etiam ius ad omnes fructus titulo annexos. Quare si exigat aliquid temporale pro iure fructuum, censetur illud pro ipso officio exegisse; quia ius fructuum in alterum transferre non potest, nisi mediante titulo: & ita praesumitur commississe simoniam Iuris diuini. In re tamen non est necesse vt sit simonia Iuris diuini; quia etsi Iure non possit ius fructuum separare à titulo, & transferre in alium absque interuentu tituli spiritalis, tamen potest illud facere facto vel tentare facere. sicut cum elocat partem fructuum ad vitam, vel etiam absque elocatione sibi seruat, & resignat titulum cum reliqua parte prouentuum, resignatario non contradicente, non committet simoniam Iuris diuini, neque etiam committet, etiam si hoc ius postea illi vendat: quia iam antè titulus in eum translatus erat. erit tamen iniustitia, & tenebitur ad restitutionem; quia non potuit ius fructuum à titulo separare. Vnde vnà cum titulo in resignatarium est translatus; & consequenter ipsi fructus debentur, nisi eos condonet.

Ex his patet Primò, Hic non esse verè simoniam Iuris diuini, nisi quis intendat ius fructuum vendere mediante officio, vt bene Adrianus dixit; licet praesumatur esse. quo modo autem sit simonia Iuris humani, statim dicitur.

Patet Secundo, Multò minùs esse simoniam Iuris diuini in venditione officij sacristae & economi Ecclesiae; quia multò minùs sunt spiritalia, quàm beneficia: sunt enim officia merè temporalia, etsi aliquem ordinem habeant ad superlectilem sacram quam tractant, vel ad Ecclesiae ministros cultumque diuinum; quatenus horum prouentus, qui ad cultum diuinum sunt deputati, administrant.

DUBITATIO III.

Vtrum permutatio rerum spiritualium inter se, sit simonia Iuris diuini.

Respondeo, Non esse, si nullum temporale interueniat, ratione cuius haec permutatio fiat. Ita Victoria num. 17. qui pro hac sententia citat Innoc. in cap. Quæsitum, & D. Thom. in 4. d. 25. q. 3. a. 3. ad 8. Eandem tenet Sotus l. 9. q. 5. art. 2. & Durandus d. 25. q. 5. num. 9. & alij. Est contra Richardum in 4. d. 25. circa tertium princip. q. 1. & contra Adrianum quodlib. 9. ad quartam confirmationem, littera E.

Contra Adr. & Richard.

Probatur Primò, Quia omnes Theologi & Canonistae tenent, licere cum auctoritate Superioris permutare beneficium cum beneficio, & titulum cum titulo; idque etiam constat ex cap. Ad quæstiones, de rerum permutat. & ex Clement. vnica, eodem titulo, vbi Ecclesiarum, beneficiorum, & titulorum permutationes à Pontificibus approbantur; & tamen plerique Theologi docent, beneficia Iure diuino naturali esse inuendibilia; certumque est, titulos ipsos omnino inuendibiles esse pretio temporali: atqui si talis permutatio esset Iure natura prohibita, non posset fieri cum auctoritate Superioris: hic enim à Iure natura

Qq 2 eximere

eximere non potest, neque facere ut liceat, quod eo iure est nefas.

Secundò, Quia hæc permutatio non videtur ullam irreuerentiam continere; nihil enim indecori est, si pacificamur mutuas preces, mutua sacrificia, mutuam operam in audiendis confessionibus, & similibus officijs, ut Sotus ait. Similiter si globali benedicti & rosaria inter se commutentur, etiam habita ratione sanctitatis & benedictionis: non enim iniuria est rei sacræ si cum alia sacra componatur; sed si cum temporalis. Vnde etiam non erit simonia, si duo adulti paciscantur ut se mutuo baptizent; etsi contrarium doceat Richardus supra.

23
Obiectio-
nes.

Sed contra Obijcitur Primò, Matthæi 10. dicitur, *Gratis accepistis, gratis date*; sed is, qui permutat rem sacram cum sacra, non dat gratis: ergo, &c. Ita Adrianus.

Gratis da-
re.

Respondeo, Negando minorem, ad sensum verborum Domini: nam *gratis dare*, est dare sine mercede vel pretio temporalis, ut colligitur ex verbis sequentibus, *Nolite possidere aurum*, &c. Ita Hieronymus, Chrysostomus, & Glossa in hunc locum Matthæi, & alij Patres.

Obijcitur Secundò, Qui permutat hoc modo rem spiritalem pro spirituali, insinuat suo facto se eius habere dominium, cum permutatio dominium transferat: ergo committit irreuerentiam in illam.

Permuta-
tio non ne-
cessario re-
quirit do-
minium.

Respondeo Primò, Negando antecedens: sicut enim is, qui rem spiritalem confert absque permutatione, non testatur per hoc se eius habere dominium, quamvis in alterum eam conferat; sed solum se habere potestatem illam conferendi: ita neque is, qui eam commutat cum alia, indicat se habere dominium, sed solum ius quoddam eam in alterum conferendi, & pro ea aliam exigendi, in qua non dominium propriè, sed simile ius acquiritur.

Secundò, Concesso antecedente, nego consequentiam. certum enim est, nos multarum rerum sacrarum habere dominium; ut earum, quæ in nostris actionibus sitæ sunt, & quarum materia nostra est, ut rosariorum, icuncularum, &c. non tamen idcirco illis quouis modo uti possumus, sed eo, qui non repugnet illarum sanctitati; ut cum inter se commutantur, vnde tale dominium non est villo modo contra reuerentiam ipsis debitam.

Obijcitur Tertio, In commutatione, quæ ex pacto prævio, nascitur obligatio naturalis, quæ quatenus hominem ab aliquo temporali commo-
do impedire potest, & onerosa censetur, est pretio æstimabilis: ergo si licet res spirituales interueniente pacto commutare, dabitur spirituale pro temporali.

Respondeo, Negando consequentiam; si enim ex pacto sit obligatio reciproca, tunc obligatio compensatur cum obligatione. si autem obligatio solum sit ex altera parte; (ut quando alter in præsentem rem tradit, altero se obligante) tunc non traditur res pro obligatione, sed pro re spirituali futura, quam quia alter non potest modo exhibere, obligat se ad eam in futurum; nunc autem nihil dat. Sicut si tibi sumptus aliqui essent faciendi ad rem debitam sistendam præsentem, hi non darentur in solutionem, neque pro re alterius; ita nec obligatio illa datur in solutionem. Denique & illa

obligatio per se spiritualis est, etsi per accidens incommodum aliquod temporale annexum habeat. hoc enim non refert; nam solum habetur ratio rei spiritualis, quam hæc obligatio directè respicit.

D V B I T A T I O I V.

Verum sit aliqua simonia Iuris humani, & in quibus contractibus ea cernatur.

D Vrandus in 4. dist. 25. quæst. 5. & quidam recentiores hunc secuti, existimant nullam esse simoniam solo Iure ecclesiastico introductam. Ratio ipsorum est Primò, Quia circa id, quod non exie, sed solum ex prohibitione Iuris est malum, tantummodò potest esse peccatum inobedientiæ, non autem irreligiositatis: nam tota ratio peccati est ex violatione præcepti humani: atqui violatio præcepti humani solum constituit peccatum inobedientiæ. Secundò, Quia Ecclesia suâ prohibitione id, quod non est sacrum, non potest facere sacrum; sed necesse est, si velit facere sacrum, ut adhibeat aliquam benedictionem; & tunc venditio eius erit simonia Iuris diuini, non humani. Addunt tamen, dici simoniam, quia tali contractui constituta sunt pœnæ simoniacorum.

24
Simonia
Durandi.

Respondeo & Dico Primò, Esse aliquam veram & propriè dictam simoniam solo Iure ecclesiastico introductam. est communior sententia Theologorum & Canonistarum in cap. Quæsitum. & cap. Cum olim, de rerum permutatione. ratio est, quia Ecclesia solâ suâ lege & ordinatione potest facere, ut id quod naturâ suâ ob partem temporalem non erat inuendibile, fiat inuendibile, seu inhabile ad venditionem, ob partem spiritalem, seu in reuerentiam rei spiritualis connectæ; non addendo tamen nouam aliquam sanctitatem, vel consecrationem: ergo si quis tunc rem illam pretio venderet, committeret veram simoniam, violando rei illius sanctitatem per contractum. Confirmatur à simili, quia locum sacrum ratione sanctitatis potest suo decreto reddere immunem, ita ut Iudex sæcularis non possit reum inde vi abstrahere; ad eò ut si contra faciat, peccet non solum contra obedientiam, sed etiam contra virtutem religionis & loci sanctitatem: & eum, qui habet ordinem aliquem vel tonsuram, potest reddere immunem à potestate Iudicis sæcularis, ita ut peccet contra religionem, si eum ad suum tribunal pertraxerit: ergo etiam rem sacram potest reddere immunem à venditione, ita ut si vendita pretio fuerit, peccetur contra rei sanctitatem, & non tantum contra obedientiam.

25
Simonia
Iuris hu-
mani.

Dico Secundò, Hæc simonia Iuris humani Primò locum habet in venditione beneficiorum secundum partem temporalem.

Immunitas
loci & pe-
sona est à
lege possi-
ua.

Secundò, in venditione quorundam minus spiritualium, ut officij sacræ, æconomi Ecclesiæ, aduocati Ecclesiæ, & similibus; & fortè etiam in venditione pensionum.

Tertio, in permutatione beneficiorum facta sine auctoritate Superioris, in renuntiatione reciproca, in simonia confidentiæ, & similibus.

Prior pars, de venditione beneficiorum, probatur;

26
In quibus
locum ha-
beat.

Venditio
beneficiorum.

Venditio beneficiorum.

tur; quia omnium sententia constat hanc esse simoniam; id enim plurimi Canones expressè habent: atqui non est simonia Iuris diuini, si non intendant aliud emere & vendere quàm ius fructuum, & ipsam dignitatem seu officium absque pretio transferant: ergo est simonia Iuris humani, sicut Iuris humani sacrilegium est; capere rem in Ecclesia, percutere Clericum.

Venditio officiorum.

Altera pars, nempe de venditione officiorum illorum, probatur cap. Saluator. 1. q. 3. vbi ad eandem rem adducitur auctoritas Concilij Chalcedonensis, quæ verbatim refertur can. Si quis Episcopus. 1. quæst. 1. his locis dicitur esse simonia vendere officium *œconomus, vicedomini, advocati, sacristæ, castaldi*: atqui non est simonia Iuris diuini; quia sunt officia temporalia; ordinata solum ad temporalium administrationem; nec est in illis vlla sanctitas per consecrationem vel benedictionem: nam *œconomus* est, qui res Ecclesiæ & Canonorum gubernat. *Vicedomini*, est œconomus rerum Episcopi. *Advocatus*, qui causis Ecclesiæ tractandis præest. *Castaldus* est, qui aliàs dicitur Maior domus, vt Glossa explicat: ergo solum est simonia Iure ecclesiastico.

27 *Obiectio.*

Dices vocari simoniam, quia pœna simoniæ tali venditioni constituta est. Sed hoc non satisfacit; idè enim pœnæ simoniacorum statuuntur, quòd simonia commissã sit, non autem idè dicitur commissã simonia, quòd pœnæ illæ sint contractæ, vt patet ex Canone Saluator, vbi sic dicitur: *Cur sancta Synodus Chalcedonensis, procuratorem vel defensorem Ecclesiæ, vel quemlibet regulæ subiectum, adeo per pecuniam ordinari prohibet, vt interuenientes quoque tanti sceleris anathematizet; nisi quod eosdem simoniacos indicet?* Ratio est, quia

Quomodo fit in his simonia.

in his officijs est quædam dignitas ob coniunctionem, quam habent cum suppellectili sacra, vel cum rebus & ministris Ecclesiæ, ob quam dignitatem Ecclesia potuit statuere vt essent inuendibilia, & immunita à contractibus humanis; quæ immunitas non potest violari absque violatione illius dignitatis, à qua mediante Ecclesiæ statuto prohenit: sicut immunitas, & ius asyli concessum locis sacris, non potest violari absque sacrilegio & violatione sanctitatis, à qua illa immunitas mediante lege Ecclesiæ dependet. sicut enim Ecclesia per suam legem; qua prohibet à loco sacro (ob eius reuerentiam & sanctitatem) hominem auelli, constituit actum illum, quo legi obeditur in specie religionis, & contrarium, quo lex violatur; in specie sacrilegij, & ipsum locum sacrum facit materiam religionis & sacrilegij quoad hunc actum; ita hæc officia facit materiam religionis & simoniæ per suam legem; & actum venditionis & non venditionis facit actum simoniæ & religionis.

28 *Ad argumentum Durandi.*

Hinc patet responsio ad prius argumentum Durandi: negandum enim est, id, quod tantum est malum ex Iuris prohibitione, esse solum contra obedientiam: esse enim contra obedientiam, est solum ratio generica, præter quam debet habere malitiam certæ speciei contra aliquam virtutem particularem, in cuius materia peccatur, & ex cuius motu præcipitur. sic vesci carne in Quadragesima, Feria sexta, vel Sabbato, non solum est contra obedientiam, sed etiam contra temperantiam vel abstinentiam Christianam, quæ temperantiæ est species: & omittere Missam

die festo non solum est contra obedientiam Ecclesiæ debitam; sed etiam contra religionem, qua Deum colere tenemur: & auellere furcæ loco sacro, est sacrilegium contra reuerentiam sanctitatis loci debitam. Eodem modo vendere vel emere officia illa temporalia Ecclesiæ, non solum est contra obedientiam, sed etiam contra religionis virtutem, quia præceptum humanum in materia alicuius virtutis, potest intuitu motui illius virtutis, id quod non erat materia necessãria, facere materiam necessariam; & actum, qui non erat necessarius; facere necessarium, ita vt virtus sine illo, vel certè cum eius contrario consistere nequeat, vt supra explicatum est. Ratio à priori est, quia in his concurret duplex ratio obligandi: altera generica, altera specifica. Generica est, quæ præcisè pronenit ex præcepto Superioris, abstrahendo ab hac vel ab illa materia virtutis. Specifica est, quæ supposito præcepto resultat ex conditione materiæ, & particulari honestate obiecti formalis seu motui, quod Superior in illa materia respicit, & ob quod præceptum imponit.

Lex facit materiam necessariam virtutis, quæ per se talis non erat.

Ad secundum argumentum, Etsi Ecclesia per suam prohibitionem ex re profana non faciat sacram, sicut per suam benedictionem & consecrationem; tamen facit vt illa res, propter ordinem quem habet ad rem sacram, fiat inuendibilis; & hoc sufficit ad obiectum simoniæ.

Tertia pars, de *beneficiorum permutatione*, probatur ex cap. Quæsitum. 5. de rerum permutatione. vbi Urbanus III ait, *Generaliter tenens, quod commutationes prabendiarum de Iure fieri non possunt, præsertim pactione præmissa, quæ circa spiritualia vel spiritualibus annexa; labem semper continet simonia.* & cap. Cum olim. 7. eodem titulo iubentur priuari suis beneficijs, qui ea propria auctoritate permutant. Ratio est, quia Ecclesia ob sanctitatem sacri ministerij potuit ea facere impermutabilia.

30 *Permutatio beneficiorum.*

Aduerte tamen, hanc permutationem non dicitur proprie simoniam, sed tantum generali ratione & imitatione quadam; nam proprie simonia est, cum datur temporale pro spiritali; vt supra dictum est, & docet Sotus l. 9. q. 5. art. 1. & q. 7. ar. 2. Petrus Nauarra lib. 2. cap. 2. num. 436. Arragon. q. 100. art. 1. & alij: idque patet ex facto Simonis, vnde nomen traxit. Confirmatur, quia aliud genus irreuerentiæ est dum datur temporale pro spiritali; aliud dum spiritalis pro spiritali contra præceptum Superioris.

Dicitur simonia generaliori ratione.

Dicos, Cap. Quæsitum. 5. dicitur, *Pactio circa spiritualia vel spiritualibus connexa labem semper continet simonia.* & cap. vlt. de pactis, *Pactiones factæ pro quibusdam spiritualibus obtinendis; cum in huiusmodi omnis pactio, omnisque conuentio debeat omnino cessare, nullius sunt momenti:* ergo etiam commutationes aliarum rerum spiritualium erunt simoniæ censendæ.

31 *De permutatione aliarum rerum, an simoniacæ.*

Respondeo, Canones loqui vel de pactione in qua interuenit aliquod temporale, quod detur pro spiritali. vt cap. vlt. de pactis, & cap. 2. Quam pio, 1. q. 2. vel de beneficijs, quorum permutatio propria auctoritate facta, peculiariter est prohibita, vt cap. Quæsitum, & cap. Cum olim, supra. aliarum enim rerum spiritualium commutatio nusquam inuenitur prohibita: quod etiam Tolemus fateatur lib. 5. c. 78. & Sotus l. 9. q. 5. in fine.

Qq 3

Adde

Adde, in quibusdam rebus contraria consuetudine hinc Canonibus esse derogatum, ita ut etiam temporale aliquid liceat pacisci, ut infra dubitatione 8. dicitur.

De renuntiatione reciproca, & simonia confidentia infra dubit. 14. & 16.

DUBITATIO V.

Vtrum Papa possit esse simoniacus.

³² *Non contrahit penas Iuris.* **R**espondeo & Dico Primò, Papam non posse incurrere penas simoniae Iure ecclesiastico statutas; ut excommunicationem, suspensionem, inhabilitatem, &c. est communis DD. Ratio est, quia Princeps non subest suis legibus, quoad vim cogendi per penas, cum nemo iurisdictionem in seipsum habeat; sicut nec par in parem. Vnde etiam sequi videtur, eum, qui contrahit cum Papa, non incurrere hanc penas; et si contrarium sentiat Adrianus quodlibet. 9. & Ioannes Andreas ab ipso citatus, & multi alij. ratio est, quia hoc ipso, quo cupit aliquem secum sic contrahere, censetur illum eximere à lege quantum potest: non enim credibile est quòd velit illum punire pro opere ad quod inuitat, vel certe in quod consentit; sic enim seipsum condemnaret. Idem dicendum de Episcopo, qui ludum aleæ sub pena excommunicationis vetuit, & postea alium ad ludendum secum inuitat. Huius sententia est Sotus lib. 9. quaest. 5. art. 2. Silvester v. Simonia, quaest. 4. Palud. dist. 25. quaest. 4. art. 1. conclus. 3. Couarruias ad regul. Peccatum, part. 2. §. 8. num. 9. Vnde sequitur, talem non teneri renuciare.

Dico Secundò, Papa potest contrahere culpam simoniae Iuris diuini. ratio est, quia aequè ac alij subiectus est legi diuinæ & naturali.

Sed tota difficultas est de simonia Iuris humani. Sotus putat, Papam non posse huius simoniae labem contrahere: idem sentit Silvester quaest. 4.

³³ *An labem simoniae Iuris possint contrahat.* **R**espondeo & Dico Tertio, Verius esse Papam incurrere culpam simoniae Iuris humani exigendo pecuniam pro officijs Iure vendi prohibitis, vel pro beneficijs; nisi rationabilis causa sublit, ob quam illa lege censetur exemptus. Patet ex ijs quæ 1. 2. q. 6. art. 5. tradi solent, & docet Victoria relect. de simonia, n. 39. ratio est, quia obligatio, qua Princeps tenetur seruare legem suam, non oritur immediatè à voluntate & potestate Principis volentis se obligare, sicut ea obligatio, quæ est in subdito; (nam Princeps non est tibi Superior, ut seipsum possit immediatè suo præcepto obstringere) sed oritur ex ipsa rei natura. 1. ex conditione Principis & Reipublicæ, ex qua provenit ut Ius naturale dicat Principem debere pati legem, quam ipse subditis imponit; L. 1. tit. Quod quisque Iuris. & cap. Cum omnes, de constitutionibus: quod intellige, si ratio legis aequè in utriusque locum habeat. Vnde sequitur, Principem non posse seipsum pro arbitrio lege sua eximere, cum Iure naturali teneatur se suis subditis conformare. quare si contra fecerit, peccabit pro conditione materiae virtutis præcepta; ut si non ieiunet tempore Quadragesimæ, peccabit contra temperantiam: si non seruet diem festum, contra religionem. Vnde si vendat officia Ecclesiæ vel beneficia, peccabit simonia. obligatio enim illa,

Obligatur Princeps suo legibus, quo modo.

qua tenetur se conformare subditis, est generalis, quæ contrahitur secundum variam materiam, & species virtutum, ad quas subditi obligantur. Quòd si iusta causa sublit, quidam dicunt posse tunc secum dispensare, sicut cum subdito. Sed verius est, dispensationem hinc locum non habere; quia non obligatur ex imperio suæ voluntatis, sed Iure naturali, in quo non potest dispensare. Neque verò eà est opus: quia posita causâ, cessat illa obligatio per se; eò quòd desinat illa ratio, ob quam se subditis debebat conformare.

³⁴ *Postea causa non est opus dispensatione.* **A**duerte tamen, si abique iusta causa fecerit contra suam legem, non peccaturum mortiferè, modò scandalum ablit; quia non tenetur illam seruare, nisi illo Iure, quo se tenetur conformare subditis. Sed de his plura 1. 2. q. 96. art. 5.

DUBITATIO VI.

Quotuplex sit simonia.

³⁵ **R**espondeo, Duæ sunt præcipuæ diuisiones simoniae. Prior est, qua diuiditur *simonia* in eam quæ est *Iuris diuini*, & in eam quæ *Iuris humani*, de qua satis dictum est dub. 2. 3. 4. 5.

Altera est, qua simonia diuiditur in *mentalem*, *conventionalem*, & *realem*. vide Nauarr. cap. 23. num. 102. & Caietan. v. Simonia, & alios.

Simonia mentalem vocamus propriè hoc loco, non quidem internum propositum, quo quis vult exteriùs simoniacè contrahere; (quamuis hoc etiam sic appellari possit) sed propositum internum, quo quis, dum confert alteri spirituale, intendit illum obligare ad reddendum temporale; vel contrà, quando confert temporale, intendit illum obligare ad reddendum spirituale, sine villo pacto externo: ut si quis seruiat Episcopo hac intentione ut in mercedem conferatur ei beneficium, & tandem beneficium conferatur, nulla tamen exteriùs, verbis aut nutibus facta conuentione, erit simoniacus mentalis.

³⁶ *Conuentionalis.* *Simonia conuentionalis* est, quando non solum est internum propositum obligandi, sed etiam proceditur ad externam conuentionem, sine tamen executione, saltem utrimque facta. Et hæc conuentionio non tantum fit verbis expressis & directis, sed etiam obliquis & obscuris. interdum nutibus, vel sola pretij oblatione in speciem donationis; tamen ex circumstantiis aduerti potest. Est autem hæc conuentionalis duplex. Alia enim est *purè conuentionalis*, vtpotè neutrà ex parte completa. Alia est *conuentionalis mixta*, quæ completa est ex altera tantum parte, ita ut quodam modo conferatur beneficium, altera parte nondum soluente pretium; vel contrà, si soluatur pretium nondum collato beneficio. huius species est simonia, quæ dicitur *confidentia*, qua quis paciscitur cum eo cui confert vel renuntiat beneficium, ut eo cum suis fructibus vel eorum portione cedat alteri, v.g. nepoti, fratri, &c.

Realis est, quando pactio ex vtraque parte completa est, saltem inchoatè; ut si collato beneficij facta sit, & pretij pars soluta. hæc peior est quam conuentionalis; excepta ea quæ est confidentia, ut infra dicitur.

Sequitur nunc ut explicemus modos particulares, quibus simonia videtur posse committi.

D V B I -

DUBITATIO VII.

Vtrum in graui vel extrema necessitate liceat dare pretium pro Sacramento.

Pro Baptismo.

Exemplum sit: Habes infantem baptizandum mori vicinum, & sacerdos recusat eum baptizare, nisi 10. aureos numeres, nec alia tibi ratio procurandi Baptismi suppetit. Item, tu ipse nondum es baptizatus, & morte instante, alia ratione Baptismum obtinere nequis.

37
1. Sententia.

Prima sententia est, In hoc casu non esse licitum dare pecuniam pro Baptismo, etiam si infans sine Baptismo esset moriturus. Ita D. Thomas in 4. d. 6. q. 2. a. 2. & d. 25. q. 3. a. 2. & insinuat quaest. 100. a. 2. ad 1. Alexander Halensis 2. par. quaest. 187. num. 3. art. 1. §. 1. Rich. d. 25. a. 2. q. 1. Palud. eadem distinct. q. 8. & Glossa in cap. 100. Baptizandis. 1. q. 1. ubi dicit, in hoc casu potius permitendum infantem mori: addens, ego tamen potius darem pecuniam, quam permetterem eum sic mori, licet non deberem sic facere: quod sane absurdè satis dictum est, etsi fortè benignè possit explicari. Ratio horum est, quia emere Sacramentum, est intrinsecè malum, sicut & vendere: ergo nullo casu licitum; non enim sunt facienda mala ut eueniant bona.

2. Sententia.

Alter sententia est, In eo casu licere dare pecuniam, non quidem pro Sacramento propriè, sed ad vexationem redimendam. Hanc tenet Gerson. tract. de simonia, ad sextam rationem, Panorm. in cap. Cum in Ecclesia corpore, de simonia, Caietan. quaest. 100. art. 2. sed hi duo tantum id concedunt in casu infantis, non adulti; quia hic potest sibi alia ratione consulere. Eandem sententiam probabilem esse insinuat Richardus.

3. Sententia.

Tertia est, Absolutè licitum esse in eo casu dare pro ipso Sacramento obtinendo. Indicat Sotus 1. 9. q. 6. a. 1. & dicitur Franciscus Victoria ita sensisse, & Thomista dicunt esse probabile, & aperte tenet Adrianus supra.

38

Dico Primò, Non potest dari pecunia pro Baptismo, tamquam pretium æquiualeus: id enim intrinsecè malum est, ut dictum est supra n. 16. & iuxta hunc sensum prima sententia est vera.

Ut deponat prauam voluntatem.

Dico Secundò, Si sacerdos aliquis nollet hoc vel aliud Sacramentum administrare nisi pro pecunia, possem ei dare pecuniam, ut prauam illam voluntatem deponat, & debito modo conferat. Ita Adrianus supra. ratio est, quia hoc non est emere Sacramentum, sed inducere ut malum propositum commutet, & iniuriam rebus sacris non inferat; sicut enim potest induci pecunia ut ab alijs peccatus abstineat ita etiam ut à simonia.

39

Licitum dare pecuniam pro Baptismo obtinendo in necessitate.

Dico Tertio, Valdè probabile est, in casu prædicto licitum esse offerre pecuniam, non quidem tamquam pretium Sacramenti propriè, sed tamquam medium alliciendi animi alterius ad obtinendum Sacramentum. tenet Aluifodorensis 3. p. Summa q. 3. de simonia, ubi dicit: *In illo casu possunt paruum baptizare; si non habent aquam, licet eis pecuniam dare sacerdoti, non pro Baptismo; (intellige ut pretium Baptismi) sed pro remouenda furia sine obstaculo quo minus habeant quod puero datur.* Adrianus supra: *Sicut liceret sacerdotem il-*

lum inducere minis & precibus, ita etiam pecuniâ. idem credo velle Auctores secundæ sententiæ; dum dicunt licere ad redimendam vexationem; & Sotum loco citato.

Probatur Primò, Quia dans pecuniam eo euentu, non censetur vllam irreuerentiam irrogare Sacramento, sed potius magnam reuerentiam, dum suo facto testatur esse necessarium ad salutem. non enim æstimat illud pecuniâ, neque intendit pecuniam dare tamquam pretium, sed solum intendit inducere illum ut velit id, quod debet velle, & explere insanam cupiditatem, quæ illum impedit quò minus det quod alteri ad salutem necessarium.

Secundò, Extrema necessitas multa alia excusat à peccatis sacrilegij, homicidij, furti, inobedientiæ, intemperantiæ, & similibus, in quibus si abesset necessitas, esset malitia talis peccati, ut patet in absolutione data in extremis ob signa contritionis, in occisione ob defensionem, in surreptione rei alienæ ob famem extremam, &c. cur non etiam excuset in hoc casu hanc pecuniæ dationem ab irreuerentia? necessitas enim facit, ut id quod aliàs censeretur esse irreuerentia, hic & nunc non censeatur; ut patet in Dauide & socijs, cum sumerent panes propositionis, quibus solis sacerdotibus vesci licebat, 1. Reg. 21. & Matth. 12. Eodem modo necessitas poterit facere ut oblatio pecuniæ, causâ obtinendi Sacramenti, non censeatur irreuerentia aut sacrilegium, aut propriè emptio Sacramenti; quæ tamen aliàs talis haberetur.

Tertio, Si alius sacerdotem impediret ne Sacramentum conferret, posset ei dari pecunia ut cesset impedire: cur non etiam potest dari ipsi sacerdoti, ut tollat impedimentum, quod ipse sibi per auaritiam posuit?

Quartò, Licitum est illum inducere minis; cur non etiam muneribus & pecunijs?

Quintò, Omnia bona temporalia sunt homini concessa ut iuuent eum ad suum finem: ergo si spiritalia ad salutem necessaria non possis ob malitiam ministrorum, vel diuinam dispositionem aliter obtinere quam dando pro eis tua temporalia, nihil inordinatum eâ ratione committes. Confirmatur; quia si mea salus esset in potestate tua, & tu nolles me saluare nisi dem pecuniam, possem omnem meam substantiam largiri ut mihi salutem impertias.

Sextò, Simoniæ turpitudine non tam sita est in eo, quòd per temporalia compares spiritalia tibi salutifera, quam quòd per spiritalia conquiras temporalia, ex illis quaestum faciendo: hoc enim cedit in magnam irreuerentiam spiritalium bonorum, quia ordinantur ad temporalia, tamquam media ad finem; ac proinde minoris videntur æstimari: & hoc est, quod passim in Scripturis prohibetur; ut Matth. 10. Actor. 8. Simon enim volebat emere ut venderet: Giezi quoque ex spiritalibus temporalia captabat. Qui autem dat temporalia pro spiritalibus, quæ gratis obtinere nequit, non destinat spiritalia ad temporalia, sed contrâ, temporalia tamquam media destinat ad spiritalia tamquam ad finem; vnde plurius æstimat spiritalia: si tamen ex illis alia commoda temporalia (ut fit in beneficijs) non expectet. Itaque in hoc opere non videtur alia esse inordinatio, quam quòd dando pecuniam

Necessitas multi excusat.

40
In quo sita potissimum turpitudine simonia.

41

Qq 4 nam

niam videaris consentire venditioni spiritualium, & pretium temporale ex æquare rei spirituali, sed neutrum obstat in nostro casu: non enim magis consentit venditioni, quàm petens mutuum consentit iniquæ voluntati vsurarij: & si consentiret, solum consentiret tamquam in minus malum; minus enim malum est vt sacerdos vendat Baptismum, quàm vt infantem perire sinat. vnde si aliter obneri Baptismus nequireret, posset sacerdos induci, vt saltem pro pecunia administraret, vt rectè Adrianus ait: neque etiam censetur æquare pecuniam Sacramento, quia non dat illam, vt pretium Sacramenti, sed vt medium necessarium ad alliciendum animum & Sacramentum obtinendum.

Obiectio-
nes.

Dices Primò, Si licet aliquid dare ad obtinendam collationem Sacramenti in eo casu: ergo licebit aliquid etiam spiritale vendere, si iniquus ille sacerdos id postulet.

42 Respondeo negando consequentiam, quia præterquam quòd venditio est longè deterior, vñ dictum est; si vellet sibi rem spiritalem vendi, & non gratis dari; conferetur id velle in contemptum religionis, & per consequens videretur eius prauitati morem gerere. Vnde non probo quod ait Sotus l. 9. q. 6. art. 1. *Si sacerdos ita esset malus vt nollet præbere, nisi iures te dare pretium pro ipso Sacramento, te posse urare, & dare pro ipso Sacramento.* quia cum ille petat in contemptum religionis, non potes ei morem gerere.

Dices Secundò, Ille sacerdos non censetur vexare nisi negando vel non dando Sacramentum, quod saltem ex charitate tenetur conferre: atqui hoc non tollitur nisi conferendo. negatio enim actus non tollitur nisi actu opposito: ergo dare pro redimenda vexatione in hoc casu, est dare pro ipsa collatione Sacramenti.

Respondeo negando consequentiam, propriè loquendo collatio Sacramenti est quidem finis cui detur pecunia; non autem id, cui pecunia vt pretium responderet.

43 Quomodo censetur esse redemptio vexationis.

Dicitur autem dari pro redemptione vexationis, quia datur ad alliciendum animum vt prauam voluntatem non dandi deponat, & in bonam commutet; quod sanè licitum est. Quando enim praua alicuius voluntas est mihi causa mali; possum precibus, promissis & donis inducere vt illam mutet, & in benevolentiam conuertat: & quia hoc fit ad ingens malum, quod occasione iniquitatis ipsius obueneret, auertendum, dicitur redemptio vexationis. Pari modo, si non electo Petro, securum esset vt hæretici occuparent Ecclesiam, possem dare pecuniam, non pro electione Petri propriè; sed ad alliciendos animos electorum ad fauorem, vt sic electo Petro tantum malum auertatur.

44 Pro adulti Baptismo.

Ex dictis sequitur, non solum pro infante, sed etiam pro adulto posse dari pecuniam ad alliciendum animum sacerdotis, si alioquin absque Baptismo moriturus esset: quia illa necessitas sufficiens est ad tollendam irreuerentiam; & non minus censetur dari ad redimendam vexationem, quàm in casu infantis: quia est iustus metus damnationis. Idem dicerem quando agitur de absolutione in extrema necessitate. Imò si esset aliqua regio, quæ non posset impetrare prædicatores Euangelij, vel sacerdotes, qui illi Sacramenta administrarent, hæc posset offerre Pontifici pecu-

niam, vt hoc medio illum alliciat ad eos mittendos: possumus enim temporalia nostra expendere ad ea consequenda quæ salutis sunt opportuna; viderint illi, quicquid exigunt. Confirmatur, quia ad illa obtinenda ius habent, & ille denegando facit illis iniuriam, & grauius eos lædit: atqui illum qui facit nobis iniuriam, possumus inducere siue precibus, siue minis, siue promissis & donis, vt ab iniuria cesset, ac proinde possumus his modis allicere eius voluntatem ad concedendum, quatenus illa concessio est quædam cessatio iniuriæ & vexationis iniquæ. Vnde parum interest, siue dicas pecuniam dari, vt prauum animum deponat; siue vt ad benevolentiam alliciat. quia non censetur dari pro re sacra tamquam eius pretium; sed vt ab iniuria seu vexatione, quam denegando facit, cesset.

DYBITATIO VIII.

Vtrum pro spiritualibus functionibus, quibus labor aliquis coniunctus est, liceat pecuniam dare vel accipere.

D. Thomam art. 3.

V. g. pro administratione Sacramentorum, Sacrificij oblatione, concione, precibus canonicis, consecratione Ecclesiarum, & similibus.

Notandum est, in tali functione quatuor spectari posse. Primò, ipsam actionem, quæ talis est. Secundò, Laborem intrinsecè coniunctum. Tertio, Laborem extrinsecè annexum. Quarto, Ministri sustentationem. Nunc

45 Respondeo & Dico Primò, Pro ipsis actionibus spiritualibus, quæ spiritales sunt, aliquid accipere vel dare, est simonia. Patet ex dictis d. 2. quia hoc est sanctitatem rei pretio æstimare, vt quando eò amplius exigitur, quo functio est sanctior. vide D. Thomam art. 3.

Dico Secundò, Non est simonia aliquid dare vel accipere pro laboribus extrinsecè seu per accidens adiunctis, siue præuij sint actioni sacrae, siue comitentur. Est communis DD. ratio est, quia illi labores in se sunt quid temporale, per se pretio æstimabile, neque rei spirituali necessariò connexum. sic cantor aliquid potest exigere pro labore & artificio canendi voce aut instrumentis; hæc enim per accidens comitantur officia diuina, vt quæ sine cantu fieri possunt: nec ex coniunctione cum re sacra amittunt suam æstimationem, quam aliàs in re profana haberent. similiter sacerdos pro obligatione faciendi Sacri tali loco & tempore, & pro labore præuij in eundo ad locum distitum: nam labor iste per accidens annexus est sacrae actioni, & per se pretio æstimabilis.

Hæc eadem obligatio etiam pretio æstimari potest, quatenus hominem sua libertate & facultate aliarum actionum vitium, vel commoditatum priuat, quas alibi eo tempore percipere potuisset; vt rectè Caietanus 2. 2. quæst. 100. art. 3. & in Summa v. Simonia, regul. 4. Pari modo Vicarij Prælatorum & Parochorum possunt exigere mercedem pro obligatione, qua se ad annum, mensem, hebdomadam astringunt; vt rectè Nauarrus cap. 23. num. 102. & Caietan. supra. Item pro

Quatuor in tali functione spectanda.

45 Pro actione spirituali.

Pro labore per accidens con-

pro laboribus subeundis in visitatione, in audientis partibus, in examinandis causis: quia vel omnino, vel secundum præcipuam sui partem temporales sunt; vt docet Caietanus ver. Simonia, reg. 6.

Sic etiam qui procurat alteri beneficium, aliquid pro suo labore accipere potest: non tamen quatenus is ordinem habet ad beneficium; sed quanti per se in alia re non sacra, vt in causa ciuili, aestimaretur: vt si literas scribat, si iter conficiat, si alias expensas rationi consonas faciat, non tamen licitum est hæc pluris aestimare propter felicem successum, vel beneficii opimitatem. vnde communiter docent DD. esse simoniam, si aliquid des alteri vt procurat tibi beneficium. Ita Nauarrus libro 3. consil. 54. de præbendis; & in Enchirid. cap. 23. num. 106. §. Ad quintum, Angelus verbo Simonia 1. num. 7. Fumuseodem, num. 7. & 9. Sotus l. 9. quæst. 7. art. 3. Siluest. v. Simonia, quæst. 6. Ratio est, quia est labor ille procurandi (si quis sit) secundum se pretio aliquo possit aestimari, non tamen quatenus vtilis est ad obtinendum beneficium, ita vt ratione beneficii pluris aestimetur; sic enim haberet suam aestimationem, saltem ex parte, à re spiritali, & ita ipsa res spiritalis vendi censeretur. si enim medium, quatenus vtile ad finem, est vendibile, etiam finis vendibilis videtur. Hinc etiam est simonia si aliquid detur pro electione, præsentatione, postulatione, vel collatione; quia hæc aestimantur ex ordine ad beneficium; vt docet Nauarrus cap. 23. num. 111. §. Nonò.

Dico Tertio, Non est etiam simonia, si des aliquid pro sustentatione ministri sub obligatione rei spiritalis; aut si minister aliquid pro sustentatione exigat: ita D. Thomas art. 3. Caiet. ibidem & v. Simonia, reg. 4. estque communis DD.

Vbi Aduerte, eis, qui ministrant populo spiritalia, deberi ex iustitia sustentationem, sicut operario debetur merces; vt patet ex Scripturis. vide cap. 2. prioris ad Corinth. vbi Apostolus id fusè probat, & satis insinuat Matth. 10. vbi Dominus ait, *Dignus est operarius cibo suo*: vnde à DD. vocatur *stipendium sustentationis*, quia verè debitum est vt stipendium. Ratio est, quia qui ministerijs spiritalibus incumbunt, priuant se facultate vacandi negotiis temporalibus, ex quibus lucrum capere & se sustentare (vt alij homines) possent; idque in commodum populi: ergo sæculares ratione huius priuationis in ipsorum commodum factæ, ipsique necessaria, tenentur ex iustitia eos sustentare, dum illis spiritalia ministrant; sicut qui vtiliter negotia alius gerit, ei debetur sustentatio necessaria, quam ille aliunde cepisset, nisi per negotia illius impeditus fuisset: argumento L. Ex duobus. 27. de negotijs gestis, & L. fin. C. eodem. Accedit, quòd nemo possit spiritalia decenter administrare, nisi sustentetur secundum suum statum: ergo qui aliquibus hæc administrat, potest ab eis sustentationem pro illo tempore exigere, non vt pretium rei spiritalis, sed vt adminiculum ex natura rei necessarium ad spiritalium administrationem. quòd enim aliunde habeat vnde possit ali, id per accidens est; nec impedire potest, quin spectata præcisè rerum natura, seu officio quod præstat, illi debeat sustentatio. Idque etiam ratione naturali est euidens: vnde etiam apud Ægyptios

publicis sumptibus sacerdotes alebantur, vt patet Genes. 47. Idem modò seruatur apud omnes gentes. Hoc titulo licitum est aliquid exigere pro Millis; pro concionibus, pro Ecclesiarum consecratione, pro visitatione, iuxta consuetudinem in Ecclesia receptam, & Canonum dispositionem. Eodem titulo Episcopatibus, parœcijs, canonicatibus, alijsque ministerijs ecclesiasticis annexi sunt magni proventus; non tamquam sacrarum functionum pretium, sed tamquam stipendia necessaria sustentandis ministris, iuxta suam ipsorum dignitatem & conditionem. Et quamuis hi proventus ante ipsam annexionem non semper integrè debeantur; quia non omnibus Ecclesiarum ministris debetur integra sustentatio; (multi enim parum præstant, & minimè sunt necessarij) post annexionem tamen debentur integri; quia à legitimo dispensatore assignati sunt eorum ministerio, & ius ad eos percipiendos attributum. Cui tamen proventus sufficient, nihil amplius exigere potest, nisi ob iustam causam Ecclesia id permittat, quo modo Episcopis concessum vt in consecratione Ecclesiarum & in visitatione accipiant procuraciones, id est, expensas seu alimenta, vt infra num. 55. dicitur.

Petes Primò, Vtrum liceat ministris rerum spiritalium pacisci de certo stipendio ad sustentationem, v. g. pro Millis & prædicationibus? Caietanus art. 3. putat id solùm ministris pauperibus licere, non autem ijs, qui aliunde se possunt sustentare.

Verùm dicendum est, Iure natura non esse simoniam, siue sit pauper, siue diues. Primò, Quia ministris rerum spiritalium ex iustitia debetur sustentatio, siue sint diuites, siue pauperes: ergo possunt de eo pacisci: quiuis enim potest pacisci sibi dari, quod ipsi Iure naturæ debetur. Secundò, Si stipendium à Prælato sit taxatum, poterit illud exigere, etiam si diues sit, vt etiam fatetur Caietanus; ergo etiam quando non est taxatum: hoc enim non mutat nec extinguit ipsius ius.

Notandum tamen, Iure antiquo fuisse simoniam sic pacisci, siue minister esset pauper, siue diues; vt patet ex cap. fin. de pactis, cap. Quælitum, de rerum permutatione, c. Tu nos, 34. de simonia, & cap. Quàm pio. 1. q. 2. quibus locis prohibetur omne pactum in spiritalibus. Huic tamen Iuri per contrariam consuetudinem in quibusdam rebus & functionibus spiritalibus est derogatum, vt docet Sotus lib. 9. q. 6. ar. 1. nam passim est ea consuetudo in Ecclesia, Prælati sciencibus & conuiuentibus; quæ potest facere, vt id quod olim erat simonia Iuris humani, iam non sit aut simonia, aut aliàs illicitum. Optandum tamen esset vt hæc consuetudo abrogaretur, quia speciem quamdam negotiationis habet, præsertim apud imperitos. Qui tamen pacisci nunc volunt, debent expressè significare se non pro ipsa functione sacra, sed pro necessaria sustentatione exigere tantum, vt rectè Caietanus monet; ne alij offendantur; & vbi aliquid certi consuetudine vel statuto Prælati est præscriptum, id excedi in paciscendo non debeat.

Dices, Si Clerici possunt pacisci & exigere hoc stipendium tamquam ipsis ex iustitia debitum, ergo non gratis ministrant.

Respon-

46
Pro curando alteri beneficio.

47
Pro electione, &c.

Pro sustentatione.

Ministri ex iustitia debent sustentationem.

An pacisci licitum sit stipendium sustentationis.

49
Olim fuit illicitum pacisci.

50
An gratis ministrant.

Respondeo negando consequentiam: dicuntur enim *gratis ministrare*, quia non exigunt quidquam tamquam ministerij pretium; hoc enim tamquam maius omni pretio gratis præstant: ut tamen hoc præstent gratis, requirunt necessariam sustentationem à populo.

⁵¹ Petes Secundo, Quid si nimium exigant pro sustentatione, eritne simonia?

*Quid si susten-
tationem.*
Respondeo, Non fore reuerà, sed præsumetur in foro externo: cum enim illud stipendium necessarium sustentationem vel communem taxationem superet, videbitur istud auctarium accipi non pro sustentatione, sed ut pretium operis spiritualis, ut insinuat D. Thomas art. 3. ad 3. Tamen reuerà solum erit iniustitia. cum enim lege iustitia solum debeat sustentatio, si amplius exigas, erit contra iustitiam.

⁵² Sed difficultas superest de labore intrinsecus sacrae actioni coniuncto, v. g. de labore in faciendo Sacro, in baptizando, confirmando, ordinando, consecrando templo, orando, &c. vtrum pro eo aliquid pacisci vel exigere liceat?

*Labor in-
trinsecus
actioni sa-
crae.*
Quidam censent, id licere. ita Adrianus quodlib. 9. ar. 1. littera D. Idem expressè docet Aluisciodorensis 3. p. q. pænultima, de simonia; Bonauen-tura dist. 25. quæst. vltima de simonia, vbi dicit, *pro labore, qui est in celebratione Missarum, & similibus, posse pretium exigi.* Richardus eadem d. ar. 3. q. 2. dicit *Episcopum recipere procuracionem, dum consecrat Ecclesias, tamquam debitam pro labore. & Clericos dicentes officium pro defunctis, posse accipere mercedem pro suo labore.* quæstione tertia excipit laborem, qui in administratione Sacramentorum: sed non loquitur consequenter. Armacanus l. 10. quæstionum Armen. cap. 10. probat ex Scripturis, laboranti in ministrandis Sacramentis, in officio prædicationis, & similibus, licitum esse pro labore huiusmodi per centum annum, & oblationes, aliosque modos honestos necessaria vitæ sumere, imò exigere, si aliunde non habeat; quia Numerorum 18. legitur: *Filius Leui dedi omnes decimas pro ministerio, quo seruiunt mihi in tabernaculo faderis.* & infra: *Comeditis eas vos & familie vestrae, quia pretium est pro ministerio, quo seruietis in tabernaculo testimonij.* Glossa in cap. Significatum. 11. de præbendis, dicit, *sacerdotem posse recipere mercedem pro suo labore, si alias ratione beneficij ad illum non teneatur.* Idem confirmatur 1. q. 2. cap. finali, ex Concilio Agathensi, vbi dicitur, *Clerici stipendia sanctis laboribus debita secundum seruij sui meritum à sacerdotibus consequantur.*

*Aliorum
sententia.*
Alij verò docent esse simoniam, si pecunia pro hoc labore exigatur. Ita D. Thomas in 4. d. 25. q. 3. art. 2. & Durandus ibidem q. 3. num. 10. Palud. ibidem q. 3. ar. 3. Siluester v. Simonia q. 9. Caiet in ar. 3. q. 100. Sotus l. 9. q. 6. ar. 1. Idem tenent Innocentius & Hostiensis in cap. Significatum, de præbendis, & passim Canonista. Probatur Primò, Quia hic labor ita coniunctus est actioni sacrae, ut ipsa sine eo nullo modo fieri possit; est enim actio materialis, in qua consideratur inesse sanctitas, nempe locutio, motioque membrorum, promanans ab intellectu & voluntate. vnde nihil est aliud quam ipsa sacra actio: ergo non potest vendi sine iniuria sanctitatis intimè coniunctæ. Secundò, Quia hic labor nullam habet æstimationem inter homines, nisi ex ipsa sanctitate actionis. labor enim, qui obitur à sacerdote in muneribus

sacris, non æstimatur, nisi ob gratiam spiritalem coniunctam, vel inde manantem. Pro resolutione Respondeo &

Dico Quarto, Vtramque sententiam rectè intellectam veram videri. si enim loquamur de pretio vel mercede sustentationis, sic vera est sententia prior, neque id Auctores secundæ sententiæ intendunt negare, sed solum loquuntur de mercede quæ præcisè respondeat labori, tamquam rei vendibili, non habita ratione sustentationis, sicut fit in rebus temporalibus. Quòd

⁵³ *posse ali-
quid exigi
pro labore,
& quomodo.*
igitur verè & propriè pro labore, molestia, & temporis impendio, quæ in functionibus spiritualibus subeuntur, liceat exigere mercedem ad sustentationem vitæ & status sui, patet ex illa Domini sententia Matthæi 10. *Dignus est operarius cibo suo.* & Lucæ 10. *Dignus sit operarius mercede sua.* Idem repetit Apostolus 1. ad Timoth. 5. At quare dignus, nisi ratione laboris, molestiarum, fatigationum, & impensæ temporis, quæ ipse subit in aliorum commodum. Confirmatur: quia non est dignus mercede temporalis sustentationis ratione bonorum spiritualium, quæ ipse alijs confert, neque ratione actionis sacrae quam confert: si enim hæc omnia posset conferre sine labore, & absque temporis detrimento, non posset exigere sustentationis stipendium: imò esset vera simonia Iuris diuini. Nam rem temporalem, nempe sumptus alimentorum, exigeret pro re purè spirituali. Ex quo perspicuum est, esse magnum discrimen inter actionem sacram, qua parte sacra est, & qua parte est laboriosa, requiritur tempus, & impediens alias functiones lucrosas, quibus aliquoquin incumbere quis posset. quatenus enim sacra est, non efficit dignum mercede temporali, nec vllum ius tribuit exigendæ compensationis; quatenus autem laboriosa & diuturna, & consequenter aliorum lucrorum impeditiva, efficit propriè dignum pretio ad sustentationem necessario, & ad illud ius tribuit non minus quam labor in re temporali. Si enim ei qui in commodum alterius in negotio temporali vires suas impendit, labores & fatigationes sustinet, tempusque intulit, ex iustitia debetur merces; cur non etiam ei qui eadem facit in negotio spirituali salutis? Quòd si operarius mercede dignus est, certè ipsum quoque opus, modo prædicto spectatum, dignum est pretio ad sustentationem necessario. nam operarius propter opus dignus est. hac igitur ratione qui facit Sacrum in gratiam alterius, qui concionatur, confessiones audit, &c. potest exigere aliquid temporale ad se alendum pro suo labore & tempore impensio, absque vitio simoniæ. Verum quia non omnis labor qui in singulis actionibus ponitur, meretur integram illius diei sustentationem, seruandum est id quod vsu receptum est, & à Prælati approbatum vel constitutum. Quòd si iam habent ob talia ministeria impensas debitas quibus se alant, v. g. ex beneficio, peccabunt contra iustitiam si aliquid amplius exigant causa sustentationis, & præsumetur in foro externo simonia. verè tamen non erit simonia Iuris diuini, si solum ratione laboris, non autem ratione sanctitatis rei id exigant, ut supra num. 51. dictum est. Erit tamen simonia Iuris humani, si id faciant contra prohibitionem Ecclesiæ vsu receptam & vigentem. Aduerte tamen, etsi labor iam dictus dignus sit mercede & pretio ad sustentationem.

*Laborem
illum non
esse proprie
venalem.*

rentationem necessario, & pro eo merces exigi possit, quæ veræ mercedis rationem habeat; non tamen posse dici propriè venalem aut vendibilem. Ratio est, quia illud solum censetur vendibile, quod aliquo modo in alterum transferri potest, ut ipse inde aliquid commodi percipiat; ut patet in cultore vineæ, cuius laboris commodum transit in dominum vineæ. at labor secundum se non potest in alterum transferri, nec alteri esse utilis, sed solum ratione actionis cui coniungitur: quæ actio vendibilis est ratione commodi quod per eam in alterum transit, si tamen hoc commodum vendibile sit. Itaque labor non est vendibilis, nisi ratione actionis cum qua censetur quid unum: actio verò non est vendibilis, nisi ratione commodi seu effectus qui ex illa alteri provenit. unde si illud commodum sit spirituale & inuendibile, hoc quoque & labor inuendibilis est. Et hoc tantum probat ratio Durandi, cum ait: *Concomitantia illa, maxime qua inseparabilia sunt ab administratione Sacramentorum (ut labor corporalis) nullo modo vendi possunt sine vitio simonia, quia labor operantis nunquam cadit sub venditionem, sed solum opus, etiam in pure corporalibus, &c.* Unde concludit, *cum opus quatenus alteri utile non est vendibile, nec laborem vendibilem esse.* quæ omnia sunt verissima, nec aliud videntur velle ceteri Doctores secundæ sententiæ, nec amplius probat primum argumentum ibi allatum. Verum etsi labor ille ut commodus alteri in cuius gratiam fit, non possit vendi, nec tributus ad exigendam mercedem; nec secundum eam considerationem reddat ministrum dignum cibo aut sustentatione: hinc tamen non sequitur quin secundum aliam considerationem, nimirum ut fatigationem & molestiam ministro adfert, & tempus requirit, & vires in commodum alterius intendit & exhaurit, dignus sit mercede, & debeat compensari. Quamuis enim labor secundum hanc considerationem non sit æstimabilis ut res vendibilis; est tamen æstimabilis secundum se, ut incommodum quoddam, quod in gratiam alterius subitur, abstrahendo à conditione actionis aut utilitatis quæ inde alteri provenit. hac enim ratione est dignus mercede & compensatione. Quod etiam ex eo confirmari potest, quia quando ipsa actio & commodum eius vendi potest, ut cum quis excollit agrum alterius, magna habetur ratio laboris subeundi, ita ut ratione illius æstimatio crescat: imò interdum parvi æstimatur actio eiusque utilitas per se, sed ratione laboris & temporis, magni; ut si litteræ in longinquam per loca difficilia sint deferendæ. labor itaque æstimari potest præcisè secundum se, ita ut quicumque talem laborem in commodum alterius subit, siue in re temporali, siue in re spirituali, dignus sit mercede ad sustentationem necessariam; idque pro ratione temporis, & conditione personæ, & laboris (quem actio requirit) magnitudine. Unde negandum est quod assumitur in secunda ratione. Eth enim verum sit, illud laborem in ratione rei vendibilis & commodæ alteri non æstimari nisi ex actionis sanctitate, & sic pro eo nihil peti posse; id tamen non habet locum secundum aliam considerationem, ut ostensum est. Quare qui intuitu solius laboris modo prædicto petit mercedem ad necessitatem sui sustentationem, non committit simoniam Iu-

ris diuini: quia seposita alia compensatione, hac mercede est dignus, ei que debetur. Posset tamen Ecclesia prohibere, ne is qui aliunde se alere potest, quidquam possit exigere: & tunc esset simonia Iuris humani. Qui verò intuitu suæ actionis sacræ, quatenus est commoda alteri, aliquid exigit, committit simoniam Iuris diuini: quia sanctitatem sui operis vendit.

Ex his patet, Episcopos & Archiepiscopos non committere simoniam quando exigunt procuraciones, seu expensas pro consecratione Ecclesiarum, & pro visitatione: quia accipiunt in stipendium sustentationis; Iure id concedente, ut patet cap. Cum sit Romana. 1. o. de simonia, ubi dicitur, *pro consecratione Ecclesiarum nihil posse capi præter procuraciones.* & cap. Romana. 1. §. Procuraciones, de censibus, in 6. ubi dicitur, *procuracionem pro visitatione debitam, non esse recipiendam in pecunia, sed in victualibus, idque moderate.* Ibidem & cap. sequenti graues pœnæ contra facientem imponuntur, nempe ut intra mensem restituat duplum, (etiamsi muneris nomine datum sit) sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ: & ut nulla remissione vel condonatione possit hoc onere liberari: tamen cap. Felicis, proximo, permittitur ut possit recipere procuracionem in pecunia, si offerant eam visitati, sed vno die non posse recipere nisi vnam procuracionem, etiamsi plura visitauerit loca: etsi nunc multis in locis consuetudo permittat tot accipi procuraciones, quot loca visitantur; ut notat Glossa. Pro ordinatione, confirmatione, & similibus nihil possunt exigere: quia Iure non permittitur, cum decorè fieri nequeat, maxime cum largum stipendium sustentationis Episcopatus sit annexum.

55
Procuraciones Episcoporum.

Pœna contra excedentes.

DUBITATIO IX.

Vtrum Prælati possint aliquid exigere pro dispensatione in votis, iuramentis, impedimentis matrimonij, aut quibusvis legibus ecclesiasticis.

Respondeo & Dico Primò, Simoniam esse si pro huiusmodi dispensationibus aliquid exegerint.

56
Est simonia.

Notandum est Primò, In his actibus nihil esse laboris vel molestiæ præuixæ, aut comitantis extrinsecus annexæ, aut intrinsecus coniunctæ: neque etiam per eos impediuntur alij actus, ex quibus lucrum capi queat. Itaque hi tituli hic locum non habent ut in superiori quæstione.

Secundò, Certum est, nihil accipi posse in pretium seu compensationem talis dispensationis, quia est vsus spiritualis potestatis, qui vendi non potest, sicut nec vsus gratiarum gratis datarum, ut doni prophetiæ, vel miraculorum.

Tertiò, Certum est, Prælatos inferiores nullo titulo quidquam accipere pro his actibus posse. Ita D. Thom. a. 3. ad 3. & communiter DD. Probatur; quia à Iure non permittuntur quidquam exigere, nisi procuraciones pro consecratione Ecclesiarum & visitatione, ut iam dictum est. Deinde quia Concilium Trident. sess. 25. cap. 18. De reformatione id expresse prohibet. Si, inquit, *urgens iustaque ratio, & maior quandoque utilitas postulauerint*

57
Pro dispensatione nihil possunt accipere Prælati.

rint cum aliquibus dispensandum esse id causa cognita, ac summa maturare atque gratis a quibuscumque, ad quos dispensatio peruenit, erit prestandum; aliterque facta dispensatio subreptitia censetur.

Aduerte tamen, posse Episcopum imponere onus largiendi eleemosynam pauperibus vel Monasterio: tantum enim prohibet Concilium, ne ipse inde commodum temporale capter.

58
Pontifex
potest.

Quarto, Summus Pontifex potest à simonia excusari, etiam si causâ dispensationis aliquid accipiat, modo illud non in pretium dispensationis; sed veluti in quamdam mulctam, per quam alter compenset recessum à communi lege, exigat. Probat, quia cupienti sibi concedi exemptionem à lege, licitum est imponere aliquod onus, quo compenset hanc deformitatem; v. g. vt soluat aliquam pecuniam ad piam causam, vt iuuenet, vt peregrinationem suscipiat: quod etiam Episcopi facere possunt. decet enim hanc exorbitantiam aliquo modo compenari & fari, & huiusmodi oneribus homines, veluti repagulis, intra leges communes coerceri. potest autem Pontifex hanc pecuniam suis necessitatibus applicare; quia nemini est debita, nisi cui ipse eam attribuerit. Idem possent Episcopi, nisi ipsis iure positio esset prohibita. Vnde si alicubi esset contraria consuetudo iam legitime præscripta, vel Pontifice sciente & non contradicente per aliquot annos recepta, non esset damnandum simonia.

59
Obiectio.

Dices. Pontifex decreta Concilij confirmavit: ergo tenetur illorum vj directiua.

Resp. Hinc tantum sequitur, Pontificem non posse quidquam pro suis vjibus exigere; (nisi sub sit iusta causa) alioquin peccabit, saltem venialiter, non conformans se in hoc decreto alijs Prælati.

Fideles
possunt excusari.

Notandum est, fideles obtinentes huiusmodi dispensationes, & aliquam pecuniæ summam Prælati exigentibus persoluentes, excusari à simonia, partim ratione ignorantie inculpatæ, partim quia dant in sustentationem Prælatorum & officialium; vel saltem in quamdam redemptionem vexationis, (præsertim si exigatur dispensatione iam obtenta) nullo modo volentes emere ipsam dispensationem. Hoc modo excusari possunt ante Concilium Tridentinum, qui soluebant aliquid Episcopo titulari in collatione Ordinum, qui abusus iam in plerisque locis est sublatus. quamuis & ipsi Episcopi propter consuetudinem excusari poterint. Etti enim sit abusus, eò quod speciem mali habeat, tamen non est absolute malum, seposito iure positio.

Petes, Vtrum committant simoniam, si aliquid exegerint pro ferenda excommunicatione vel alia sententia. Ratio dubitandi est, quia hic non aliquid spiritale conferunt, sed auferunt; ac proinde non videtur hic esse locus simoniae. Respondeo, Committere simoniam; quia excommunicare est vsus potestatis spiritualis, non minus quam ab excommunicatione absolueret. Vnde Prælati, si intuitu istius vsus exhibiti in gratiam alterius, qui v. g. suum debitorem vel aduersarium, à quo iniuriam patitur, hac pœna compelli petit, aliquid exigat, simoniam iuris diuini committit. Cum enim hic nullus labor vel modicus subeundus sit, ratione cuius videatur aliquid ad sustentationem posse exigere, solum superest illa actio spiritualis, quæ vendibilis non est. Nec refert quod

commodum per illam proueniens ei in cuius gratiam fit, sit temporale, nimirum quod alter cogatur soluere, vel abstinere ab iniuria. quia sufficit illam actionem ex parte sui principij vnde procedit, atque ad eò in seipsa spiritalem esse; sic enim efficitur inuendibilis, etiam vt alteri utilis: sicut vsus gratiæ sanitarum, qui alteri maximum commodum temporale adfert, inuendibilis est, nec quidquam pro eo exigere potest. sicut enim hoc commodum temporale non præstat nisi per actionem spiritalem; ita neque venditur, aut exigitur pro eo pecunia, nisi vt in illa actione tamquam in causa continetur.

Aduerte tamen, si ex vsu potestatis spiritualis graue incommodum proueniret vrenti, v. g. odia, calumnia, pericula vitæ, famæ, fortunarum, &c. seposito iure positio, non fore simoniam, si aliquid eo intuitu exigatur. Tunc enim nihil exigitur pro vsu potestatis spiritualis, sed pro incommodo, quod ipse patitur & subit, vtendo illa potestate. Atqui honor rebus spiritualibus debitus non postulat, vt dum quis in commodum alterius illis vtitur, non se curet seruari indemnem. Simili modo sacerdos periculo grauis incommodi se exponens faciendo Sacrum, possit illud æstimare abique vlla rei factæ iniuria.

DUBITATIO X.

Vtrum Episcopi vel eorum officiales possint aliquid exigere pro litteris Ordinis suscepti, vel dimissorijs, vel sigillo.

Respondeo & Dico Primò, Nec Episcopos, nec eorum ministros (exceptis Notarijs) quidquam posse pro his, etiam sponte oblatum, accipere: si contra fecerint, contrahent simoniam, saltem iuris humani. 60
Soli Notarij possunt pro litteris aliquid exigere.

Prior pars est expressè Conc. Trident. sess. 21. c. 1. de reform. *Nihil, inquit, pro collatione quorumcumque Ordinum, etiam clericalis tonsuræ, nec pro litteris dimissorijs, aut testimonialibus, nec pro sigillo, nec alia quacumque de causa, etiam sponte oblatum, Episcopi & alij Ordinum collatores, aut eorum ministri quouis prætexitu accipiant.* vnde patet, ne expensas quidem exigere posse, sicut in consecratione Ecclesiarum & visitatione.

Altera verò, fore simoniam, colligitur ex eodem loco Concilij: quia prohibet hæc, eò quod prauitatis simoniacæ faueant; & infligit pœnam excommunicationis ipso facto, olim iure statutam. Idem patet ex Concilio Bracar. II. c. 3. vbi dicitur, *De ordinatione Clericorum Episcopi nulla munera accipiant, sed sicut scriptum est, Gratis accepistis, gratis date, &c. quia antiqua definitio Patrum ita de Ecclesiasticis ordinationibus statuit dicens: Anathema sit danti & accipienti.* vide cap. 22. Placuit i. q. 1. Gregor. I. cap. 4. Sicut Episcopum. i. q. 2. *Sicut Episcopum nõ decet manum, quam imponit, vendere; ita minister vel Notarius nõ debet in eius ordinatione vocem suam vel calamum venundare.* ibidem tamen permittit sponte oblatum accipi: quod tamen Concilium Tridentin. prohibet, & merito; quia non censetur quid facile tunc sponte dari, maxime ante ordinationem: & facile persuaderet tibi cupiditas, sponte dari quoddam coactè offertur. Non tamen erit simonia, si verè sponte detur, & 61
Sponte oblatum.

vt tale accipiatur; quia, cessat pactio & ratio de-
bita, quæ necessaria ad simoniam.

62
Notarij.

Excipiuntur à Concilio Tridentino Notarij; sed in ijs tantum locis vbi est consuetudo aliquid accipiendi, & nullum salarium pro exercendo officio est constitutum. hinc enim pro singulis dimissorijs & testimonialibus litteris possunt accipere decimam partem aurei, non amplius, id est, sex asses; dummodò Episcopo nullum inde emolumentum obueniat. Quod si eis salarium sit constitutum, simoniam committent aliquid accipiendo. Similiter si amplius acceperint. Nec potest eis suffragari contraria taxa, aut consuetudo, etiam inmemorabilis; quam Concilium dicit esse corruptelam, prauitati simoniacæ fauentem: addens, *Qui secus fecerint, tam dantes, quam accipientes, ultra diuinam vindictam, penas à Iure instrictas ipso facto incurramt.* Hæc pœna est excommunicatio, vt patet ex 2. Concilio Braçarenfi cap. 1. Quod de dantibus dicitur, intellige de ijs qui sponte dant; secus qui coactè, iam obtento ordine.

Dantes qui excusandi.

Aduerte tamen, his non obstantibus, multis locis amplius exigi: vbi sanè dantes omnino excusandi sunt; non enim est mens Concilij, vt litteris illis careant, forè etiam accipientes excusari possunt consuetudine; quæ est corruptela videatur ob speciem mali, tamen per se mala non est, quamuis meritò per Episcopos vt corruptela tolli deberet.

63
Prælati tenentur dare stipendia suis ministris.

Dico Secundò, Prælati, qui habent redditus sufficientes, tenentur lege Iustitiæ suis officialibus iusta stipendia assignare, ne cogantur pro hisce ministerijs à subditis aliquid exigere. Ita docet Sotus l. 9. quæst. 6. art. 1. Probatur, quia Prælati non sunt assignati tanti prouentus tot millium aureorum, vt ipsi soli inde viuant; sed vt etiam ministros suos, qui ad pastoralia munia ipsis sunt necessarij, sustentent. Porro ministri, quibus salarium debitum est assignatum, peccant, etiam contra iustitiam, aliquid amplius exigendo. Verùm in his omnibus magnam vim habet consuetudo præscripta.

DVBITATIO XI.

Vtrum pro omissione actus spiritualis aliquid dare vel exigere sit simonia.

64
Dare pro omissione, non est simonia.

Respondeo & Dico Primò, Non esse id propriè simoniam. Huius sententiæ dicitur fuisse Melchior Canus & Franciscus Victoria. ratio est, quia nuda omisso actus spiritualis, non est quid sacrum & supernaturale: ergo dum pro eo aliquid exigitur, non exigitur pro re sacra; vt si aliquid accipias vt omittas Sacrum, vt non ordines, non confirmes, non absoluas, non baptizes, non excommunices, non suspendas, non subicias interdico. Imò interdum potest quis pecuniã induci vt hæc omittat, v. g. ne eligat eum, quem scio ineptum, vel hæreticum; ne absoluat impœnitentem, ne celebret dum est in statu peccati. quod si fiat vt alteri noceatur, erit quidem graue peccatum, non tamen propriè simonia.

Nec obstat cap. Nemo presbyterorum, l. 4. de simonia; vbi dicitur, *simoniacum esse pretio vel favore celare peccatorem, vel reconciliare non penitentem,*

vel digne penitentem à reconciliatione remouere. quia nomen *simonia* ibi accipitur generatim & large, quo modo collatio beneficij facta carnali affectu vel precibus interdum simoniaca dicitur; vt patet cap. l. 14. Ordinationes, l. quæst. 1. Eodem modo collatio facta timore, vocatur simoniaca à D. Thoma in 4. vt notauit Victoria n. 25. certum enim est, fauore celare peccatorem, seu non deferre, non esse propriè simoniam: imò neque si pretio fiat, quia deferre vel non deferre, non sunt actus spirituales, sed ciuiles. per accidens autem est quòd referantur ad correptionem fratris, vel punitionem; modò non ideò plures æstimentur, vt patet ex dub. 8.

Dices, Quædam omissiones sunt vsus potestatis spiritualis, vt patet cum quis penitentem & confessum non vult absolvere. ergo erit simonia si aliquid pro ea detur, vel exigatur. Respondeo; Numquam pura omisso, de qua nos loquimur, est vsus potestatis spiritualis. Vnde diximus *nudam omissionem actus spiritualis non esse quid sacrum.* Vt omisso censeatur vsus spiritualis auctoritatis, requiritur vt quis ex auctoritate aliquem repellat, vel saltem vt illi omissioni actus spiritualis censeatur coniunctus, v. g. Si quis audita confessione alicuius illum repellat tamquam indignum, & sic deneger absolutionem, est actus spiritualis, & sic erit simonia Iuris diuini pro tali omissione in fauorem alterius facta aliquid accipere. quo modo, facile intelligi potest dicitur cap. Presbyterorum; & sic *simonia* quo ad hunc calum poterit ibi propriè accipi. Non tamen erit vera simonia, si Sacerdos non repellat, nec iudicet indignum, sed dissimulante se subducatur, vel alio actu omittat absolutionem: sic enim non vteretur sua auctoritate. Similiter si Prælati qui excommunicauit, penitentem repellat, tamquam indignum, nolendo absolvere, vel etiam monia sine causa nectat, erit simonia. Nam huic omissioni coniuncta est continuatio effectus prioris sententiæ; & ita omittingendo, assidue & voluntariè censeatur suæ auctoritatis sententiæ excommunicatum lædere. Sicut Prætor aliquem victum tenens, postquam venit tempus quo tenetur illum soluere, si omittat, posituè eum lædit vsu publicæ potestatis. Itaque hoc ipso, quo datur aliquid pro tali omissione, datur pro continuatione læsionis, & consequenter pro continuato vsu illius potestatis.

Dico Secundò, Huic tamen contractui, quo aliquid datur vel exigitur pro omissione actus spiritualis, si fiat sine iusta causa, coniuncta est quædam turpitudine simoniæ affinis. ratio est, quia dum exigitur vel offertur pretium pro omissione actus spiritualis, tacitè insinuat actum illum esse vendibilem; si enim est æstimabile pretio ipsum non fieri, etiam æstimabile pretio videtur ipsum fieri. quare committitur irreuerentia in rem sacram per hunc contractum. Quia tamen contractus non fit de re ipsa sacra, non est propriè simonia: non enim est rei sacre venditio, sed est contractus, quo insinuat rem sacram esse vendibilem; quod in eius iniuriam cedit. Ex quibus patet, accedente præcepto Ecclesiæ quo veteretur acceptio vel oblatio pecuniæ pro huiusmodi omissionibus in reuerentiam sacrarum functionum, facile in huiusmodi fore simoniam Iuris humani.

65
Habet simonia imaginem.

R r

Dixi,

Dixi, si fiat sine iusta causa. quia in multis casibus licitum est aliquid dare ministro Ecclesiae: ut aliquem actum spiritalem omittat; modo illa omisio non sit connexa vsui spiritualis potestatis, ut supra n. 64. dictum est. Possumus enim iniurias Dei pecunia oblata impedire. Idem dico de grauisimis iniurijs proximi, quae aliter auerti nequeunt, ut si vellet aliquem iniuste excommunicare. Ipse tamen pecuniam licite non potest exigere, nisi forte in casu pro damni vel incommodi compensatione, quod omittendo subiturus esset.

DUBITATIO XII.

Utrum pro ingressu Religionis aliquid dare vel accipere sit simonia.

66 **R**espondeo & Dico Primò, Simonia est si pro iplo statu religioso aliquid offeratur vel accipatur. est certa & communis D.D. quia hic status est res omnino supernaturalis & caelestis. Petes, Utrum idem dicendum sit, si donis & muneribus intendam te pertrahere ad religionem Catholicam, vel ad meum Monasterium?

Respondes, Si solum intendam alicere animam, ut sponte hæc complectaris, certum est non esse simoniam: licitam enim est beneficij allicere ad salutem & salutaria omnia: modo tamen absit scandalum, ne videantur pretio fieri Christiani vel Religiosi. Si verò intendam absolutè obligare, videtur esse simonia, ut insinuatur cap. 2. Quam pio. 1. quaest. 2. vbi dicitur, *Nusquam legimus Dominum discipulos, vel eorum ministerio conuersos, quempiam ad Dei cultum muneribus interuentu pronocasse.* Sed verius puto non esse propriè simoniam; quia pro temporalibus non obligo illum, ut mihi, vel alteri meo nomine, det aliquid spirituale: sed ut sibi ipsi consulat, & salutaria amplectatur. Confirmatur, quia turpitudine illius actus non est sita in eo quod spirituale comparetur pretio temporali: alioquin ne sub conditione quidem obligari quis posset, nimirum ut vel ingrediatur Religionem, vel refundat 100. aureos quos in hunc finem ei dedi. Quando enim agitur de comparanda re spiritali, ne hoc quidem modo obligatio potest interuenire. At satis constat illud non esse illicitum, ut statim dicemus, & vsus quotidianus probat. Consistit igitur illius actus deformitas in eo quod homo pretio temporali obligetur ad id quod liberè & ex affectu salutis animæ, non commodi temporalis, capessi debet. Vnde in alijs rebus spiritalibus admitti potest hæc absoluta obligatio absque vitio simoniae, v. g. ut talibus diebus facias Sacrum, tali loco, in tali altari, &c. ergo non est hic propriè simonia, saltem Iuris diuini. Cauendum tamen est, tum propter scandalum, ut dictum est; tum quia Religionis professio debet esse libera. vnde non potest ita obligari quin possit resilire, si in probatione viderit sibi non conuenire.

67 Simili modo non potest Monasterium inops pacisci cum opulento, ut pro Praelato, quem illi suppeditat, certam pecuniam rependat; qui est calus dicti capitis, Quam pio: quia reuerà hic daretur spirituale pro temporalibus. Vnde etiam videtur simonia, si Monasterium sui commodi spiritualis vel temporalis causâ, muneribus aliquem absolutè ad

ingressum obstringeret; daret enim temporale, ut ipse in gratiam & commodum ipsorum capesseret spirituale: secus si non absolutè. nam potest quis alii in studijs, vel accipere commoda à Monasterio, ea lege ut postea ingrediatur, vel si non fuerit, teneatur illos sumptus refundere; si autem ingressus fuerit, liber sit ab hac obligatione. Pater, quia licet mutare sub conditione ut non tenearis restituere, si Religionem ingressus fueris; tenearis verò si non fueris: nihil enim hic datur pro ingressu Religionis tamquam pretium, sed datur gratis, & ingressus Religionis requiritur tamquam conditio; ut donatio vim habeat: quo modo etiam legatum quoduis relinquere potest.

Dico Secundò, Si Monasterium est opulenti, videtur esse simonia, saltem Iuris Ecclesiastici, exigere aliquid pro sustentatione ingredientis. Docet hoc D. Thomas in 4. d. 25. q. 3. art. 2. ad 7. vbi ait, *Si sine gravamine Monasterij possit recipi nouitius, simoniacum est aliquid exigere.* Actianus quodlib. 9. littera V. Victoria relict. de simonia p. 2. n. 1. 2. vbi dicit omnes D.D. sentire hoc esse simoniam. Probatur Primò, Quia ius viuendi de bonis Monasterij sic est annexum profectibus, sicut præbenda officio Ecclesiastico: ergo sicuti pro præbenda non potest quidquam exigi, ita neque pro iure sustentationis.

Quidam negant antecedens, Quia, inquit, Monachi olim non habebant ius viuendi ex bonis communitibus, sed solum ex opere manuum. Deinde Monasterium non teneret monachum alere lege iustitiæ; sed solum ex misericordia.

Sed contrà. Quia etiam olim non habebant ius, quando se omnes labore manuum sustentabant, tamen modo postquam Monasteria ad sustentationem fratrum sunt copiosè dotata, & auctoritate Ecclesiae sic instituta, non video cur singuli Religiosi ius non habeant ad alimenta ceteraque necessaria, & cur Monasterium non teneatur lege iustitiæ singulos alere; cum singuli sint pars illius communitatis, quæ illorum bonorum dominium, vel certè liberum usum habet. Idem tenet Nauarr. commentar. 2. de Regular. num. 29. 65. & alibi.

Secundò probatur, Quia vel exigitur aliquid pro ipso statu, vel pro iure alimentorum: si pro statu, est expressa simonia iuris diuini: si pro iure alimentorum, cum hoc ius sit debitum ratione status, censetur velle vendere ipsum statum, ex quo hoc ius prouenit, sicut dictum est de beneficio, dubit. 2. & 4.

Notandum tamen quosdam sentire, hic nullam esse veram simoniam, quando pecunia solum pro sustentatione exigitur, sed solum prælimi in foro externo. Ita Siluester v. Simonia, quaest. 15. Toletus lib. 5. cap. 89. Sotus lib. 9. de Iustit. quaest. 6. art. 2. ad quartum, & multi alij recentiores. Confirmatur, quia non exigitur temporale pro spiritali tamquam pretium; sed solum requiritur tamquam conditio ut Monasterium accessu aliorum non grauetur: cum enim bona sint communia, neque certi prouentus singulis profectis sint attributi, sit ut opes communitatis, respectu singulorum, minuatur aliorum ingressu, neque tam commode possint recipi pauperes, qui alias benè idonei. ad hoc igitur cauendum, paciscuntur cum

ijs, qui opes habent, vt inferant alimenta: quæ ratio non habet locum in beneficijs. Itaque non exigunt pro iure alimentorum propriè, sed damni vitandi causa; & ne illorum accessu, pauciores alij possint admitti. hæc ratio bene ostendit, non esse simoniam Iuris diuini. Quod tamen aliquo modo sit simonia; videtur posse conuinci ex Canonibus, qui absolute prohibent aliquid exigi ab ingredientibus, vel pactum fieri, & puniuntur dantes, tum accipientes: hos enim iubent suspendi ab executione ordinis & officij, illos verò ad aliud Monasterium transferri; vt patet cap. Veniens ad nos. 19. & cap. Dilectus. 36. de simonia, & Extrauag. prima de simonia, vbi suspenduntur Conuentus & Capitula, quæ pactus, vel prædicia, vel similia in Religions ingressu, etiam ex consuetudine, (quam dicit esse corruptelam) exigunt; & illi, qui hæc dant, excommunicantur. Neque dici potest, Canones loqui ex præsumptione: quia potius præsumendum est illa exigi non pro statu spiritali, sed vel ad leuamen Monasterij, vel tamquam conditionem, vt recreetur Conuentus in illis veluti nuptijs spiritalibus; & vt tractentur amici. non enim arbitrandum est illos velle pessimo modo facere, quando minus malus suppetit. Probabilius dici posset, olim fuisse simoniam Iuris humani, & adhuc esse; vbi illi Canones vigent; vbi verò longa consuetudine contrarium seruetur, illam simoniam desisse. Semper tamen speciem simoniæ retinet, & verum avaritiæ est signum.

70
Videtur non esse simonia, vbi longa consuetudo contrarium seruat.

71
Dico Tertio, Si Monasterium inopia premitur, ita vt non possit plures sustentare, non est simonia, pacifici cum ingredientibus de sustentatione. Ita D. Thomas quaest. 100. art. 3. ad 4. & in 4. Sentent. loco citato, Silvester supra quaest. 13. Idem tenent Victoria, Sotus, Caietan. Nauarrus, Ioannes Medina, & alij plerique. Ratio est, quia hic nihil spiritale vendi censetur; illa enim pecunia solum requiritur vt condicio quadam necessaria, vt alij Religiosi non grauentur: non enim par est vt maiorem inopiam subeant causâ eorum qui petunt admitti, quando hi ipsi facile possunt istud incommodum auertere. Nec obstat cap. Quoniam. 40. de simonia; quia ibi agitur de Monasterio, quod falsò prætendebat paupertatem, vt notauit Silvester. Dici etiam potest, Iura antiqua in Monasterijs tenuibus per contrariam consuetudinem esse abrogata.

72
Dicitur Concil. de numero.

Circa prædicta Notandum Primò, Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 3. de reformatione Regul. statuisse, vt in Monasterijs & domibus tam virorum quam feminarum, is tantum numerus construatur & seruetur, qui ex proprijs redditibus Monasteriorum vel consuetis elemosynis commodè possit sustentari. Vnde Superiores, & illis negligentibus, Ordinarij debent hunc numerum constituere, & non permittere vt plures admittantur; & consequenter ne fiant pacta de alimentis, aut de dote: (sic enim in Monasterijs feminarum vocari solet) quamuis enim Concilium hoc expresse non prohibuerit, tamen sequitur ex illius decreto, est que Iure antiquo vetitum.

73
Notandum Secundò, Non videri peccatum, saltem mortiferum, si plures admittantur vbi hic numerus nondum est constitutus, aut si pacifcan-

tur de dote, quando Monasterium est tenue: quia decretum illud nondum videtur receptum; & vsus contrarius non est contra rectam rationem, & Congregatio Cardinalium nihil aua est hac de re definire, sed censuit ad Summum Pontificem deferendum.

Nec obstat cap. Periculoso, vnic. §. Sanè, de statu Regul. in 6. Districtius, inquit Pontifex, prohibemus, ne in Monasterijs Ordinum non mendicantium aliqua recipiantur in sorores, nisi quot poterunt de ipsorum Monasteriorum bonis sine prouentibus absque penuria sustentari: si secus actum fuerit, irritum decernentes. quia responderi potest, illa, quæ inferuntur, hoc ipso fieri bona Monasterij, & sic eam, quæ admittitur, ali posse de bonis Monasterij. Deinde non videtur vsu receptum; quia passim ignoratur dispositio huius Canonis.

DUBITATIO XIII.

Verum sit simonia, exigere pretium pro doctrina Theologica.

74
Respondeo & Dico Primò, Exigere aliquid pro doctrina theologiæ naturalis seu metaphisica, non est simonia. est ferè communis DD. Probatur, quia hæc doctrina non est res supernaturalis, sed est actus naturalis intellectus, voce explicatus; adducens alterum ad cognitionem naturalem: ac proinde non est materia simoniæ. Vnde potest estimari non solum ex labore, qui ponitur in studendo, sed etiam ex sublimitate rei & veritatis, ad quam mentem alterius eleuat; eoque amplius exigi, quòd veritas illa est sublimior, magisque abdita, vt dictum est dubit. 1. vnde videmus, professionibus sublimioribus maiora esse constituta auctoramenta. Idem sequitur ex sententia Altiisiodorensis, & Alexandri de Ales; qui dicunt scientiam vendi non posse, laborem docendi posse; quia hic labor non habet estimationem notabilem, nisi ex re in qua versatur.

Dices, Veritas illa est quid æternum & increatum: ergo sine iniuria vendi non potest. Secundò, Non est mea vel tua, sed solius Dei, teste D. Augustino in Confessionibus. Denique omnis veritas seu cognitio veritatis est à Spiritu sancto, teste D. Ambrosio.

75
Obiectio.
Respondeo, Veritatem esse quid increatum & Resp. æternum vt est in obiecto æterno, & vt est in mente diuina; & hac ratione vendi non posse. Vt autem est in mente & in intelligentia docentis & discantis, est quid creatum: non tamen propriè dici potest vendi, ea enim quæ est in docente, vel in actu intellectus illius, non venditur; quia docens, suam cognitionem & veritatem non transfert in discantem, sed sibi eam retinet. ea verò, quæ nascitur in discante, non oritur solâ docentis operâ; vt qui extrinsecus tantummodo obiectum proponat, sed ex vi luminis intellectus. propriè tamen dici potest vendere suum docendi laborem, industriam, & vocem; quatenus vilis est ad obiectum tam nobile proponendum; & consequenter concedi potest, veritatem indirectè vendi, videlicet quatenus oritur ex labore & industria docentis, in mente discipuli, & vilis est ad conuictum humanum, ad dignitatem & nominis

Vendit idem bonè & vocem suam.

minis existimationem, ad oblectationem, ad opes, ad famam.

76 Nec obstat quòd veritas sit virtus intellectus, ac proinde bonum honestum, quod nullam cum bonis temporalibus habet commensationem: quia non venditur quàm honestum, sed quàm vile & delectabile.

Ad Secundum, Veritas, quæ est in obiecto, non est mea; ea tamen quæ est in meo intellectu, quodammodo mea est, per quam proponendo obiectum medio sermonis, aliam in mente alterius gigno, pro quo actu mercedem postulo.

Ad Tertium, Omnis veritas est à Spiritu sancto, non tamen per supernaturale donum. etiam sanitas, & vires, & artes à Spiritu sancto sunt.

77 *Pro catechismo.* Dico Secundò; Exigere aliquid pro simplici catechismo seu doctrina & veritate fidei tradenda, tamquam pretium, est simonia. Ratio est, quia hæc doctrina non æstimatur, nisi quatenus disponit ad salutem. Neque ordinariè sit solum ut res fidei memoria teneantur (qua ratione fortè aliquid exigi possit) sed ut fideles sciant illis uti & applicare ad affectus & mores suos, tum in cultu diuino, tum in Christiana conuersatione componendos. Potest tamen exigi stipendium sustentationis pro labore qui subitur, ut supra dubitat. 8. dictum est.

Pro vssu doni sapientia. Dico Tertio, Si theologia pro cognitione mysteriorum fidei & Scripturarum diuinitus infusa (qualis erat in Apostolis) accipiatur, exigere aliquid pro eius vtu tamquam pretium, est simonia. ratio est, quia hæc theologia erat gratia gratis data, qualis naturæ viribus haberi nequit: per hanc enim longè clariùs & certius sensus Scripturarum & mysteria fidei penetrabant, quàm vilo studio quis possit assequi. neque solum consistebat in habitu, sed bonam partem in assistentia Spiritus sancti, pro tempore & loco illuminantis.

78 *Theologia scholastica.* Dico Quarto, Si theologia accipiatur pro scientia, quæ ex principiis fidei per industriam rationis naturalis deducit conclusiones; pro quibusdam eius actibus pretium accipi potest, pro quibusdam non potest.

Quatuor functiones theologia. Vbi notandum, hanc theologiam habere quatuor functiones. Prima, Ex principiis fidei deducere conclusiones, siue necessariò siue probabiliter. Secunda, Ex sacris DD. interpretari Scripturas. Tertia, Docere doctrinam Christianam, seu prædicare doctrinam euangelicam. Quarta, Dare responsa ad pacandas conscientias. Pro tertio & quarto actu pretium exigi non potest. Ratio est, quia hi duo actus immediatè referuntur ad excitandam fidem, spem, charitatem, penitentiam, aliosque actus supernaturales, & ad consolationem Spiritus sancti percipiendam: nec aliam habent æstimationem apud Christianos. vnde censentur res sacræ & supernaturales: quia immediatè ad supernaturalia ordinantur, & etiam quia fiunt ab homine, vt est instrumentum Spiritus sancti.

79 *Pro labore præuio.* Aduerte tamen, non fore simoniam, si pro labore præuio, qui in studendo scribendoque ponitur vt se cõparet ad illos actus, aliquid accipiat; quia per accidens illis coniungitur: modò non pluris hunc laborem æstimet, cõ quòd ad salutem vel conscientia tranquillitatem faciat. possit tamen eum æstimare, si idem ad commoda temporalia

valeret; vt quando de contractibus responderet: sicut Iureconsultus cõ pluris æstimat suum responsum & laborem, quò maior est causa ad quam iuuat.

Verùm si quis benè consideret, nihil est peculiare in illo studio præuio ad conciones vel catechesim. Si enim consideretur vt est vile iis quorum causa suscipitur, sic nihil pro eo exigi potest, sicut nec pro ipso actu concionandi. quia utilitas hæc est omnino spiritalis; & sic æstimatur hoc studium & venderetur ratione commodi spiritalis. Si autem spectetur vt adfert molestiam, & requirit magnam animi attentionem & longum tempus, sic pro illo potest exigi pretium sustentationis. Sed eodem modo potest exigi pro labore ipsius concionis, vt patet ex dictis dubit. 8. num. 53. & 54. Itaque non est hic facienda distinctio inter concionandi actum, & laborem præuium, qui ad illum actum ordinariè requiritur, vel suscipitur.

De primo & secundo actu theologiæ est discussa. Quidam putant esse simoniam, si pro eis aliquid exigatur. Ita Siluester v. Simonia q. 10. & Paludan, quem Siluester refert. Addit tamen Siluester duas limitationes. Prima est; Si doceatur ex officio magistris; quia sic est, inquit, actus spiritalis ex parte principij. Secunda, Si ex pacto. Sed probabilis est non esse simoniam. Ita Adrianus quodlib. 9. art. 1. Sotus l. 9. quæst. 5. art. 1. & quæst. 6. art. 2. Caietan. in art. 3. D. Thomæ, Victoriana num. 6. relect. 1. & alij. Ratio est, quia in actu docendi theologiam vel explicandi Scripturas, non habetur ratio vtrum proveniat iste actus ex cognitione seu assensu supernaturali, neque vtrum immediatè inducat ad assensum supernaturalem, vel ad alios pios motus; sed solum laboris & sumptus, quo Doctor ad illam cognitionem peruenit; & laboris, quo illam tradit, & utilitatis, honoris, oblectationis, quæ ex illa prouenire solent.

Dices Primò, Hæc doctrina versatur circa obiecta supernaturalia, & ad eam concurrunt in docente habitus supernaturales, nempe fides; & ingenerat auditoribus assensum supernaturalem, fide illorum cooperante. Denique dirigit virtutes supernaturales, spem, charitatem, religionem; & fidem ipsam stabiliorem reddit, & mysteria fidei contra infideles tuerit: ergo hæc doctrina est sacra in seipsa, ac proinde inuendibilis.

Respondeo, non negamus quin multa sacra possint huic actui esse coniuncta, sed non ita coniuncta sunt, quin separari possint; vt patet in theologo, qui de aliquo articulo fidei voluntariè dubitat, vel etiam aliquem negat. hic enim fide supernaturali caret; tamen eruditè docere potest. Sicut etiam cantui artificioso coniuncta sunt preces sacræ, quæ canuntur; tamen pro ipso cantu pretium exigi potest; quia per accidens coniuncta sunt. Itaque etsi habitus fidei concurrat in docendo, non tamen eius habetur ratio, dum aliquid pro hac doctrina exigitur: sicut nec ratio habetur quòd fidem supernaturalem defendat, aut virtutes supernaturales dirigit; sed solum quòd intellectum in cognitionem rerum abditissimarum, quæ sine magno labore nequit obtineri, adducat, quæque obtenta, magnam oblectationem, honorem & commoda conciliet.

Ob

*De primo & secundo actu.**80 In primo & secundo actu non est simonia.**81 Obiectio prima.**Resp. Quæ ratione pro doctrina theol. ali. quid possit exig.*

Ob has considerationes Doctor aliquid exigere potest in pretium suae doctrinae, aestimando plurius suas operas, quia in sublimiori materia versatur.

82 Nec obstat quod obiectum sit supernaturale; quia non habetur ratio utrum cognitio, qua illud attingitur, sit supernaturalis, an non; sed solum quod labore & industria naturali attingatur.

Obiectio 2. pro licentia docendi. Dices Secundò, Titulo de Magistris, per multa capita prohibetur ne aliquid accipiat pro licentia docendi: ergo docere est actus spiritualis.

Resp. Respondeo, Negando consequentiam; etsi enim nihil possit accipi pro huius licentiae concessione, eo quod ex potestate spiritali procedat; (est enim usus potestatis spiritalis, sicut dispensatio cum Sacerdote ad chirurgiam exercendam) tamen pro ipso actu docendi aliquid accipi potest; sicut pro actu medendi. Adde, non solum de licentia docendae Theologiae, sed etiam Grammaticae & Dialecticae ibi agi. Puto tamen non fore simoniam Iuris diuini, sed solum humani, si aliquid pro licentia docendae Theologiae vel alterius scientiae exigeretur, habita ratione lucri quod ex ea professor percipiet: etsi enim concessio huius licentiae seu facultatis docendi sit usus potestatis seu iurisdictionis spiritalis, id non refert; quia non est usus spiritalis seu supernaturalis, sed politicus. Iurisdicção enim Ecclesiastica ad multos actus politicos se extendit, ad quos etiam potestas politica; vt cum punit crimina sui vel mixti fori penitis ciuilibus, v. g. carcere, inedia, multa pecuniaria: cum priuilegia ad opera lucrosa, quae ad Ecclesiae bonum proprie non pertinent, concedit. Itaque cum pro huiusmodi pecunia exigitur, etsi id possit esse iniquum vel turpe luerum, vel simonia Iuris humani, non tamen videtur simonia Iuris diuini. Confirmatur: quia quando ius administrationis vel negotij temporalis competit alicui eminenter, nimirum in altiori officio; & ad finem altiorem; transferre illud in alterum, & in eo alteri suas quodammodo vices committere, non est proprie & essentialiter usus potestatis spiritalis, quia spiritalis est, sed quatenus eminenter etiam est temporalis. Nec refert etiam si illa potestas respiciat finem spiritalem, v. g. bonum spirituale Ecclesiae vel subditorum; quia etiam respicit bonum temporale, quod non amittit suam aestimationem etiam si ordinetur ad spiritale. Sic non est simonia Iuris diuini, si Episcopus vel Rector Ecclesiae vendat officium Sacristae, Oeconomii, Aduocati, Defensoris Ecclesiae: vt supra dubit. 4. dictum est. quia haec iura sunt in se temporalia, vt pote ad actus temporales, ac proinde pretio aestimabilia; & eminenter competunt ipsi Praelato. Quare dum ea in alios transfert, translatio illa, quoad suum terminum, est res temporalis, etsi à principio spiritali procedat. Sed per accidens est, quod à tali principio proveniat. Nam potest fieri absque vlla iurisdictione; vt patet si ipse Sacrista hoc suum officium vendat, & in alterum transferat. Ad hoc enim sufficit dominium rei aliunde non impeditum. Sicut per accidens est calor quod proveniat à sole, vel ab igne, & ad hunc vel illum à sua causa destinetur finem. Idem dicendum de officio Magistris: quia eadem prorsus videtur ratio, ac proinde idem dixerim de licen-

tia docendi, & de alijs licentijs quae consistunt in concessione alicuius Iuris temporalis pretio aestimabilis: secus de illis quae solum in dispensatione legis, vt licentia medendi in Sacerdote. dispensatio enim vendi non potest. Confirmatur. Nam licentia docendi ab officio magistri non distinguitur, nisi quod officium sit ius docendi cum obligatione, licentia sine obligatione. Sed obligatio non quaeritur, nec pro ea pecunia exigitur, aut datur, sed solum pro ipso iure docendi. Vnde Canones tit. de Magistris eodem modo de licentia & de officio docendi loquuntur, & sub grauibz penis pecuniam, pro illis accipi verant, idque quia talis exactio fordida, & contra profectum Ecclesiasticum; vt ibidem dicitur, & iubent acceptum restitui: eum tamen, qui licentiam sic obtinuit, non priuant. Itaque satis indicant plus ibi esse iniuriae & sordium quam verae simoniae.

Dices Tertio, Docere ex potestate magisterij seu doctoratus, est usus potestatis spiritalis supernaturalis, vt ait Siluester: ergo est actus spiritalis.

Resp. Respondeo, Magisterium non esse potestatem spiritalem seu supernaturalem, sed potius naturalem, vt insinuat D. Thomas quodlib. 3. art. 9. duo enim continet, ritulum honorificum, seu lus vt tali titulo compelleretur, collatum in testimonium scientiae; & ius docendi: vtrumque autem est eiusdem ordinis, cuius est ipsa scientia. Itaque cum ipsa scientia, quatenus studio & labore paritur, naturalis censetur, etiam testimonium illud humanum & potestas docendi naturalis est; id est, non supernaturalis. Nec refert, quod à Pontifice descendat; quia etiam potestas medendi in Sacerdote est à potestate spiritali; non tamen ipsa ideo censetur spiritalis: & potestas regia potest conferri per potestatem supernaturalem Pontificis, tamen non est supernaturalis. potestas enim supernaturalis iurisdictionis, quae est in Praelatis, & maxime in capite Ecclesiae, extendit se ad multa, quae sunt ordinis naturalis, idque eo modo, quo potestas politica. nam potestas Ecclesiae continet in se potestatem politicam eminenter.

His explicatis, dicendum est de quibusdam modis simoniae circa annexa spiritalibus, vt circa beneficia & pensiones.

D V B I T A T I O X I V.

Utrum sit simonia, resignare beneficium in fauorem tertij, id est, cum clausula, Non aliter nec alias.

Multi Doctores censent id esse simoniam, si resignatio fiat in manus Ordinarij. ratio est, quia omnis pactio in spiritalibus simoniam continet. cap. fin. de pactis. & cap. Ex parte 1. de officio Delegati. itaque debere hanc resignationem in manus Ordinarij fieri pure & absolute; posse tamen offerri preces pro aliquo, sed illum non astringi huic conferre. secus vero si fiat in manibus Pontificis, cuius praesentia potest simoniam purgare, & veluti sol tenebras dispellere. Ita Rebuffus, de beneficijs, §. de pura resignatione; addens, beneficium resignatum

Usus politicus potestatis spiritalis.

Obiectio 3. Resp. Magisterium, seu doctoratus.

tum in fauorem coram Ordinario, & ab Ordinario collatum, posse impetrari à Papa, tamquam vacans per simoniam. Idem tenet Nauarr. c. 23. num. 107. & passim Canonistæ cum Glossa in dictum cap. Ex parte. 12. quam sequuntur aliqui Theologi.

85 Alij verò tenent, talem resignationem in manus Ordinarij factam, nullam continere simoniam Iuris diuini vel humani; nec esse illicitam; modò is, in cuius fauorem fit, verè sit dignus. Ita Sotus lib. 9. quest. 7. art. 2. quem sequuntur multi Thomistæ, & Conarruius lib. 1. variar. cap. 5. num. 5. & 6. vbi pro hac sententia citat D. Anton. & Siluestrum. Ratio est, quia qui ita renuntiat, nihil temporale dat vel accipit pro spiritali; sed solum indicat se renuntiare, si collator velit conferre Petro: non renuntiare, si nolit. Confirmatur, quia in permutatione licitum est resignare in fauorem, etiam in manus Ordinarij, Clement. vnica, de rerum permutatione: cur non etiam in simplici cessione? Neque obstat, quòd Episcopus videatur obligari. Primò, Quia etiam obligatur in permutatione, si eam admittat. Secundò, Hæc obligatio non est pretio æstimabilis, quando alter est verè dignus. Tertio, Quia hæc obligatio solum quæritur vt conditio, nec vllò modo censetur pretium renuntiationis: alioquin etiam censetur pretium, quando fit cum Pontifice.

86 Respondeo & dico Primò, Hic nullam esse simoniam Iuris diuini, vt patet ex rationibus allatis.

Dico Secundò, Non posse etiam ex Canonibus conuinci esse simoniam Iuris humani: quia nulla propriè hic interuenit pactio: nõ enim requiritur promissio Prælati, sed solum fit resignatio sub conditione, quam si Prælati non acceptat, nihil actum est.

An Episcopus possit acceptare, reiecto modo.

Aduerte tamen, plerosque DD. sentire, Episcopum posse acceptare talem resignationem, reiecto modo, & conferre cui voluerit: quia illa clausula habetur pro non adiecta; cum resignatio in spiritalibus pure fieri debeat. Idem tenet Conarruius supra, & dicit esse sententiam communem.

Verius, non posse.

Contrarium tamen puto verius cum Rebuffo, §. de resignatione conditionali, num. 7. & sequentibus. Primò, Quia quando fit actus cum aliqua adiectione, non potest pars illius altera recipi, & altera reijci, sed debetur totus recipi, vel totus reijci; L. Aurelius. 28 §. Idem quest. 12. 7. De liberatione legata: vbi vide Bartolum. Secundò, Quia aperte significatur resignationem esse nullam, nisi admittatur cum illo modo: vnde non potest ille modus vel conditio haberi pro non adiecta. Tertio, Permutatio non valet, nisi beneficium conferatur compermutanti, eò quod non aliter resignatum fit; Clement. vnica, de rerum permutatione: ergo nec renuntiatio simplex valebit, nisi conferatur ei in cuius fauorem resignatum est.

Si tamen resignans sciret suam resignationem inualidam esse, eò quod sit contra stylum Curie, posset Episcopus illam acceptare, reiecto modo, vt docet Flaminius l. 1. de resignat. q. 3. n. 65. dicens ita resolutum in Rota. Credo in pœnam illius conditionis contra stylum Curie adiectæ.

87 Dico Tertio, Huiusmodi resignationes, ob imaginem simoniæ, iuxta stylum Curie non pos-

sunt fieri, nisi in manibus Summi Pontificis. Ita Nauarrus, & Rebuffus supra, & Flaminius q. 3. vnde sequitur, non posse fieri coram Ordinario, saltem eo modo vt Ordinarius se possit obligare: nisi ex priuilegio vel consuetudine id ei sit concessum.

Vnde sequitur, resignationes seu cessiones reciprocas non posse coram illo fieri, v. g. resigno meum beneficium in fauorem tui nepotis, vt tu resignes tuum in fauorem mei nepotis; nam præterquam quòd hæc renuntiatio fit in fauorem, continet pactum resignationis reciprocæ, quòd omnino extra casum permutationis est Iure vetitum; vt patet cap. Quæsitum, de rerum permutatione.

Idem dicendum de resignatione triangulari, vt 88 vocant; v. g. Renuntio meo beneficio in fauorem Petri, vt Petrus suo cedat Paulo, & Paulus cedat suo mihi: fieri enim potest vt Pauli beneficium sit commodius mihi, Petri verò sit commodius Paulo, & meum Petro; quo posito cupiant inire dictam resignationem. Esse autem in huiusmodi resignatione simoniam Iuris humani, expresse docet Nauarr. in cap. Si quando, de scriptis, except. 4. num. 11. & in Enchiridio cap. 23. num. 100. §. Secundò, quòd. vbi pro eadem sententia citat Raimundum, Angelum, & Siluestrum, qui idem in simili casu, vbi tamè minor est imago pactiois simoniacæ, docent. Idem Nauarr. in consil. l. 5. con. 22. t. de simonia, reprobatur omnes resignationes triangulares & quadrangulares tamquam simoniacas; & dicit eas inducere penas Iuris, si compleantur. Ratio est, quia notissimi Iuris est, in spiritalibus omnem pactioem obligantem ad id quod Iure non inest, esse illicitam & simoniacam: vt aperte colligitur cap. fin. de Pactis. vbi dicitur: *In spiritalibus omnis pactio, omnisque conuentio debet omnino cessare.* & cap. Tuos, de Simonia; & l. q. 1. cap. Quam pio, & alibi sæpè. atqui in permutatione triangulari est pactio obligans ad id quod Iure non inest. nam primus obligat secundum vt resignet in fauorem tertij, & secundus obligat tertium vt resignet in fauorem primi. nullo ergo colore huiusmodi resignationes & permutationes defendi possunt. vide Flaminius lib. 14. q. 7. num. 63. Potest tamè hæc resignatio fieri coram Summo Pontifice, quia non continet simoniam nisi Iuris humani; quam auctoritas summi Pastoris dissipat. Coram Ordinario non potest fieri, ob causam dictam. posset tamen, duplici permutatione coram ipso facta, ad eundem terminum perueniri; vt si ego permutem simpliciter cum Petro, & habito beneficio Petri permutem cum Paulo; sic enim Paulus habebit beneficium Petri sibi commodum, & ego Pauli, quod commodum mihi, & Petrus meum, quod commodum ipsi.

DUBITATIO XV.

Utrum licitum sit resignare beneficium reseruata pensione.

Respondeo, Id licitum esse, modò pensio sit moderata, & legitima auctoritate constituitur. est communis sententia, & patet ex cap. Ad quæstiones, de rerum permutatione. Idem confirmat

Pensio po- firmat vsus quotidianus. Ratio est, quia sicut
restimponi. Pontifex potest titulo beneficii plures fructus an-
nectere, ita eidem titulo potest fructuum portio-
nem detrahere, & alteri ius ad illos concedere,
vel onus soluendi ex fructibus certam portionem
ipsi titulo imponere, idque ad vitam resignantis;
& tunc ad quem transibit beneficium, ad eum-
dem transibit onus soluendae pensionis. Itaque
resignare beneficium reseruata pensione, nihil
est aliud quam resignare sub ea lege & modo, vt
Superior partem fructuum à beneficio separet,
vel vt onus pensionis illi imponat: quod cum
Superior Iure facere possit, nihil exigitur, nisi
quod Iure fieri potest.

90 Dices, Prælati hinc obligatur ex pacto.

An Præla-
tus oblige-
tur.

Resp. Primò, Non obligari: non enim tene-
tur admittere resignationem sub tali modo. Se-
cundò, Eà admittit, non est opus vt se obliget;
sufficit vt liberè constituat pensionem: quod si
nolit, iam resolutur renuntiatio. Tertiò, Etiam si
se obligaret, nihil referret; quia pensio non exigitur
vt pretium beneficii aut resignationis, sed vt
pars eius quod dimittit: non enim paratus est re-
nuntiare beneficio toti cum omnibus fructibus;
sed cupit retinere partem. vnde non agit de lucro
captando ex resignatione, sed de damno vitando;
ac proinde non est simonia.

91 Sed difficultas est, qui possint pensionem causâ
Qui possint
pensionem
imponere.
resignationis simpliciter imponere.

Resp. Primò, Certum est, Pontificem posse,
cui plenaria dispositio beneficiorum competit.
Secundò, Idem potest Legatus à latere, vt docet
Rebuffus, §. de resignat. conditionali n. 12. adeò
vt nisi pensionem imposuerit, facta tali resigna-
tione, collatio sit futura irrita. hinc tamen non
conceditur vt possit admittere resignationes in
favorem tertij, vt idem tradit. Tertiò, Vtrum
Episcopus possit, dictum est supra c. 34. dub. 38.
Verius iudico, & stylo Curie Romanæ, qui Ius
facit, conformius, non posse; nisi priuilegium vel
conferuendo præscripta id ei concesserit. cui aper-
tè fauet Ius commune, quod statuit vt Ecclesiasti-
ca beneficia sine immutatione conferantur. Ex-
trauag. cap. vnico, titulo Vt Ecclesiast. benef. &c.
Vnde sequitur, non posse nisi vbi Ius id ei conce-
dit. Vide supra cap. 34. dub. 38. n. 205.

92 Notandum est Primò, Quando quis vult re-
Possunt
tractare.
signare in favorem tertij sub onere pensionis,
posse illos inter se tractare; non tamen absolu-
tè concludere, sed tantum sub beneplacito Pon-
tificis: si enim absolute concluderent, esset si-
monia; quia pensio non potest sola auctoritate
partium imponi. vnde non potest resignatarius
Iure esse illius debitor; & consequenter obligat-
ur per resignantem ad aliquid temporale, quod
Iure non debet. Quando autem imponenda est
per legitimam auctoritatem, tunc Iure debebitur,
ac proinde non obligatur nisi ad id quod
Iure inerit.

93 Notandum Secundò, Interdum fieri resigna-
An hypo-
theca &
fideiussor
exigi possit
pro pensio-
ne.
tiones in favorem sub onere pensionis; & quia
resignans metuit ne resignatarius malignè solu-
uat, vult hypothecam sæcularem, vel fideiussor-
em, quem quavis difficultate suborta conuenire
possit. Certum autem est, huiusmodi condi-
tiones & onera pretio æstimabilia, quæ Iure non
insunt, non solere nisi auctoritate Summi Ponti-
ficis admitti; quia continent simoniam Iuris hu-

mani, & habent quamdam speciem contractuum
ciuiliū. Vnde non dubito, quin talis pensio ab
Ordinario constituta, possit non solui, & benefi-
cium tamquam vacans impetrari.

Petes, Vtrum si quis expensas fecerit in obti-
nendo beneficio litigioso, possit eas repetere, si
beneficium velit resignare?

Quidam putant posse, si non petat aliquid pro
ipso beneficio; sed tantum pro expensis litis, vt se
indemnem seruet: hæ enim totæ redundant in
vtilitatem resignatarij, quasi in eius gratiam fa-
cta essent. Ita quidam recentiores.

Mihi placet contraria sententia, quæ est com-
munis DD. vt docet Flaminus lib. 14. q. 7. nu. 1.
quia omne pactum in spiritalibus de onere tem-
porali, quod Iure non est annexum, reprobatur,
si absque auctoritate Superioris fiat; de quo vide
suprà dubit. 2. & 4. Certè in foro externo non
admitteretur ista excusatio.

DUBITATIO XVI.

Utrum licitum sit resignare vel conferre
beneficium in confidentiam.

95 **R**espondeo & Dico Primò, Si resignes, vel
alio modo procures alicui beneficium, con-
fidens ipsum aliquando illud nepoti vel amico
tuo resignaturum; si nullam obligationem ipsi
imponere intendas, non erit simonia; quamuis
ob circumstantias possit esse illicitum. Docet hoc
Nauarrus cap. 23. num. 109. Viualdus, de simo-
nia, n. 28. Hugolinus tabula 1. cap. 22. ratio est,
quia nullum interuenit pactum, nec internum,
nec externum: sine pacto autem non potest esse
simonia, vt patet ex definitione. vnde quantum-
uis speret quis vel confidat, si nulla est occulta
vel aperta conuentio, nulla intentio obligandi;
nulla quoque est simonia.

Dices Secundò, Si resignes, conferas, vel aliter
procures alicui beneficium cum intentione obli-
gandi; vt post aliquod tempus nepoti vel alteri
renuntiet, nullo tamen signo exterius hanc tuam
intentionem insinues, erit simonia mentalis. Pa-
tet ex dictis dub. 6. Hæc tamen non infert pœnas
Iure constitutas.

Dico Tertiò, Si alicui beneficium aliqua ra-
tione procures, eligendo, presentando, postulando,
resignando in favorem, conferendo, instituendo,
confirmando, vel commendando, cum
pacto, vt is qui beneficium istud accepturus est,
illud idem tibi vel alteri aliquando resignet, seu
relinquat, aut vt pensionem ex eo vel fructus
aliquos alteri præstet, erit simonia confidentiæ
externa, quæ pœnas Iuris infert. Patet ex Bulla
Pij IV. & maximè Pij V. quam refert Nauar-
rus cap. 23. n. 110. in qua ponuntur varij modi,
quibus in foro externo præsumi possit & debeat
hæc simonia esse commissa. Porro re ipsa, & in
foro conscientiæ, solum committitur duobus mo-
dis. Primò, Si procures alteri beneficium, vt illud
tibi vel alteri aliquando renuntiet. Secundò, Si
illud procures, vt fructus vel pensio ex eo alteri
soluatur.

Petes, Quid si procures beneficium cum pacto
vt tibi reseruetur pensio vel fructus aliqui?

Resp. Esse quidem simoniam, non tamen con-
fidentiæ;

Si resignas sibi fructus vel pensionem, non est simonia, sed fructus aly vel aly conferantur, vel pensiones solvantur ex eodem, confidentia confertur. hic cum de conuentione beneficij agitur, dicitur, ut eidem dimittenti vel alteri conferatur: cum de pensione & fructibus dicitur, aly vel aly.

Altera sententia probabilis.

Altera tamen sententia est valde probabilis, nam in Bulla Pij V. censetur simonia confidentia, quando aliquis presentat, vel beneficium resignat aut confert, vt prouisus, illius fructus, aut partem fructuum, ad utilitatem conferentis vel cedentis relinquat; vel pensionem ei, cui idem collator vel cedens voluerit, persoluat. Idem colligitur ex Bulla Pij IV. *verf. ac sibi propterea pensiones annuas. & verf. ac fructuum ac pensionum reservationes;* quibus locis aperte indicat esse simoniam confidentia, cum quis sibi absque legitima auctoritate pensionem reservat. Crediderim tamen non esse in hac parte receptam.

98 Retrocessiones probibita.

Ex istdem Bullis patet, in beneficiorum resignatione, presentatione, & collatione, illicitas esse & simoniacas hac specie qualdam retrocessiones, quas vocat *recessus, regressus, & ingressus*, quibus significatur ex vna parte ius quoddam in dimittente, repetendi pristinum beneficium; ex altera onus & veluti seruitus quedam in beneficio.

Regressus.

Regressum dicar habere, si beneficio à me possesso cedam alteri, reservato mihi iure regrediendi ad illud beneficium, in euentu, quo resignatarius naturaher vel ciuiliher pramoriatur, aut fiat Episcopus, aut pensionem constitutam non soluerit.

Ingressus.

Ingressum, si beneficium mihi collatum alteri, ante captam eius possessionem, resignem, seruato mihi iure ingrediendi possessionem huius beneficij, si ille pramoriatur, vel fiat Episcopus, &c.

Accessus.

Accessum, si Prælatus mihi cupiat prouisum de beneficio; sed quia per artem vel alia de causa sum incapax; confert meo pedagogo, concessio mihi iure, vt quamprimum iustam aetatem habuero, propria auctoritate possim istud beneficium accipere vel accedere. Quicumque sibi vel alteri tale ius reservat sine expressa Pontificis auctoritate, committit simoniam huius speciei. Adde, etiam Concilium Trident. sess. 25. cap. 7. de reform. valde improbare istas retrocessiones, *veluti imaginem quandam successionis hereditaria referentes; ac proinde, vt sacris constitutionibus, Patrumque decretis contrarias.* Ob eandem causam improbat Coadiutorias cum futura successione, nisi *urgens necessitas, aut euadens utilitas aliud postulet: & tunc non nisi causa diligenter à Romano Pontifice cognita, concedi debere.*

99

Utrum licitum sit permutare beneficia, compensato fructuum inaequalitate.

Coadiutoria cum futura successione.

DUBITATIO XVII.

Utrum licitum sit permutare beneficia, compensato fructuum inaequalitate.

Respondeo & Dico Primò, Permutatio beneficiorum facta sine auctoritate Prælati, est illicita: non tamen est simonia Iuris diuini natura is, sed Ecclesiastici. patet ex dictis supra dubitatione 4.

Vbi Notandum est, Cum ex dispositione Canonum, permutantes nullam habent potestatem esse planè irritum; ac proinde sicut propria auctoritate sua beneficia alienarunt, ita sua auctoritate posse ad ea redire. possunt tamen à Superiore per sententiam priuari, in poenam illius criminis; vt patet cap. Cum olim. 7. de rerum permutat. non tamen amittunt ea ipso facto, nec incurrun censuras.

Cuius auctoritate permutatio facienda sit, dictum est cap. 34. dubit. 36.

Dico Secundò, Si alterum beneficium sit altero dignius, & paritas sit reddituum, est simonia Iuris diuini, si pecunia vel pensione excessus ille dignitatis compensetur. Ratio est, quia illa dignitas est omnino spiritalis. vide dub. 2.

Dico Tertio, Si beneficia habent prouentus inaequales, possunt nihilominus inter se commutari, excessu prouentuum alterius, pensione vel pecunia compensato. Ita Sotus l. 9. q. 7. ar. 2. Caict. in ar. 4. q. 100. Siluester v. Permutatio 2. q. 6. vbi citat Panorm. Angelus v. Permutatio, num. 6. & alij. Probatur ex cap. Ad quaestiones 6. de rerum permutacione, vbi Clemens III. approbat permutacionem duarum Ecclesiarum parochialium, compensato excessu opulentioris, pecunia.

Contrarium tenere videntur Adrianus quodlib. 9. art. 3. ad 5. quem sequitur Couarruias l. 1. variar. c. 5. num. 8. & 9. Sed si quis bene aduertat, nihil aliud velle videntur, quam illum excessum non posse pecunia compensari, si consideretur vt manens annexus suo titulo; quod verum est: quia sic est quid spirituale; qua ratione nihil pro eo dari potest.

Notandum est, hanc compensationem possibile tripliciter fieri. Primò, Si beneficium copiosius, non separatis prouentibus à titulo, commutetur cum tenui, & pro excessu prouentuum exigatur compensatio: & hoc non est licitum: quia iste excessus, hoc ipso quo manet annexus titulo, est debitus isti titulo; & hoc ipso, quo titulus in alterum transfertur, simul transit iste excessus: ergo pro eo nihil potest exigi, quin id etiam pro ipso titulo exigi censetur. & hoc est quod Adrianus & Couarr. velle videntur.

Secundò, Si compensatio exigatur, non pro excessu manente annexo, sed pro incommodo temporali quod subeo, spoliando me istis prouentibus. hanc enim ob causam possum petere à Pontifice, vt vel pensionem mihi referuet ex beneficio quod relinquo, onere pensionis imposito eidem beneficio; & sic simpliciter transferam illud beneficium, hoc onere grauatum: vel beneficiario imponat obligationem, vt ex alio beneficio, vel ex suo patrimonio aliquid mihi pro mea indemnitate soluat. Id enim Pontifex potest, cum hoc non sit pretium beneficij, aut prouentuum annexorum, sed conditio quedam necessaria vt me seruem indemnem, sine qua indemnitate nolo commutare.

Tertio, Si iura prouentuum separentur à titulis, & primò ipsi tituli nudi, simpliciter permutentur: deinde alio contractu permutentur iura prouentuum, compensato excessu opulentioris. iura enim prouentuum à suis titulis hoc modo separata, cum non sint spiritalia, sed temporalia bona, possunt sub tali pacto commutari, vt incrementum

100
Possunt ad sua beneficia redire.

101
permutatio inaequalium.

102
Compensatio haec ut fiat.

Separatio prouentuum à titulis.

mentum alterius, pretio compenſetur. Iuxta hunc modum intellige dictum cap. Ad quaestiones, de rerum permutatione. Hic tamen cauendum ne hi contractus misceantur, vt ait Pontifex; quod fieret, si in permutatione titulorum apponeretur pactum de permutatione prouentuum, & compensatione.

Petes, Quo modo, qui permutant titulos suos, possunt retinere iura prouentuum, cum hæc iura tantummodo ratione titulorum competant?

103
Fit hoc iuris dispositione.
Resp. Retinere ex dispositione Iuris, idque tantisper donec illa inter se permurent, vt sic rursus coalescant cum suis primis titulis: nam solum ad hunc finem & cum hoc onere conceditur, vt sine omni specie simoniae, permutatio fiat.

104
Beneficium nullo habens fructus potest permutari.
Dices, Iuxta hunc modum sequetur, posse permutari beneficium nullo habens fructus cum alio fructus habente, compenſatis fructibus cum alio fructus habente, quod videtur falsum; quia sic tota præbenda, id est, totum ius fructuum annexum titulo, posset pecuniâ emi.

Ad hoc respondet Caietanus art. 4. dupliciter. Sed secunda responsio est tenenda, nempe id fieri posse auctoritate Pontificis, etsi non inferioris Prælati. non tamen hinc sequitur, quod tunc propriè præbenda vendatur pecuniâ, quia iam supponimus ius prouentuum esse à titulo legitima auctoritate separatum, factumque temporale, & desuisse esse propriè præbendam: quod per Pontificem posse fieri non est dubitandum, modò iusta causa subſit; vt rectè Sotus loco cit. q. 7. art. 2. in fine; & ostensum est supra dubit. 2. vbi plura de hac re diximus.

Dico Quartò; Licitum est priuatim inire pactum de faciendâ legitimè permutatione, & se vicissim ad hoc obligare: à quo pacto postea non potest alter altero inuito sine iusta causa resiliire. Colligitur ex Sil. verbo Permutatio. 2. q. 5. Ratio est, quia licitum est se obligare ad actum Iure concessum: atqui permutare beneficia Superioris auctoritate, est actus Iure concessus; ergo licitum est se ad illum obligare. Itaque non solum licitum est priuatim tractare de permutatione faciendâ, & concludere tractatum adiectâ clausula *sub beneficio Superioris*; sed etiam coram Notario & testibus obligare se confecto instrumento ad illam faciendam, & ad non resiliendum ab hoc contractu. Aliud enim est priuata auctoritate commutare beneficia, quod est illicitum: aliud obligare se ad permutationem legitimè faciendam; quod nullo Iure est prohibitum.

Nec obſtat quòd permutatio sit actus spiritalis, & consequenter etiam obligatio ad permutandum spiritalis sit: quia hæc obligatio non suscipitur pro re temporalis, sed pro spiritali, nimirum pro simili obligatione quam alter subit: quod nullo Iure est prohibitum.

Dices, Ipla permutatio fieri non potest absque Superioris auctoritate: ergo nec obligatio ad illam suscipi potest sine eadem auctoritate. Confirmatur, quia dum suscipitur talis obligatio, datur alteri ius ad illam permutationem, quod ius est spirituale.

Respondeo, Est dispar ratio. Ad permutationem enim requiritur Superioris auctoritas eo potissimum nomine, quòd beneficium priuata auctoritate non possit in alterum conferri, Iure ita disponente, ad varia incommoda vitanda. At verò

in huiusmodi obligatione suscipienda, nihil est incommodi: quia tota executio ponitur in arbitrio Superioris, sine cuius consensu illa obligatio est inutilis ac euânida. similiter omnè ius quod ex illa nascitur. Idem dicendum de alijs obligationibus ad alias res vel functiones spirituales commutandas; vt supra dub. 3. ostensum est.

Ex quibus sequi videtur, non fore simoniam; nec per se illicitum, etiam si addatur pœna conuentionalis, soluenda ab eo qui absque iusta causa à contractu recesserit, siue ante Superioris consensum, siue post: quia Iure gentium omni contractui iusto potest apponi pœna conuentionalis accommodata, ne iniquè ab illo recedatur, nisi id Iure sit prohibitum: sicut plerique sentiunt de pœna sponsalium contractui apposita. Atqui nullo Iure prohibitum est, ne huic contractui, de quo agimus, pœna apponatur. Ergo, &c.

DUBITATIO XVIII.

Vtrum redemptio vexationis licita sit in beneficijs, & quousque.

105
Ius in re, & ius ad rem.
Notandum est, Aliud esse ius ad rem, aliud ius in re. *Ad rem ius habet* in beneficijs, remotum quidem, qui dignus est: propinquum vero, qui electus, vel presentatus, vel postulat, sed nondum confirmatus, aut institutus. *Ius in re habet*, qui iam est confirmatus, vel institutus, vel collationem factam acceptauit, quamuis nondum possessionem ceperit. Quibus positus

106
Habens ius ad rem, non potest.
Respondeo & Dico Primò, Qui nondum habet ius in re, non potest oblato pretio vexationem redimere ab his, qui non tantum possunt obesse, sed etiam prodesse. Ita communiter DD. & colligitur apertè cap. Matthæus, de simonia; vbi quidam electus à maiore parte Capituli, cum pauci contradicerent, consensit vt vni ex electoribus contradicentibus daretur pecuniâ, vt conquiesceret; nimirum ne se opponeret eius confirmationi; in quo facto Pontifex iudicauit eum simoniam commisisse, & idèd debere beneficium dimittere, si saluus esse velit. Ratio est, quia quando datur pecuniâ ei qui potest prodesse, censetur illum inducere ad non opponendum quod Iure posset opponere, & ad præbendum consensum; & ita viam sibi sternere directè & propriè ad ipsum beneficium. sic si electus vel presentatus rejicitur ab Episcopo, qui deberet illum confirmare vel instituere, non est licitum dare pecuniâ vt ab hac iniuria cesset; quia hæc iniuria consistit in confirmationis negatione; negatio autem non tollitur nisi per affirmationem, quæ in proposito est ipsa confirmatio vel institutio; ac proinde dare vt cesset ab iniuria, est dare pro ipsa confirmatione.

107
Si impediatur modis iniquis.
Notandum tamen, si ille modis apertè iniquis conaretur impedire, v. g. infamando electum, vel corrupendo alios pecuniâ, ne consentiant, non videri in foro conscientie simoniam, si electus vel alius ei pecuniâ offerat, tantum vt ab huiusmodi iniquo conatu desistat, si enim alteri dari potest pecuniâ ne iniquè noceat, cur non etiam huic? non enim directè aut indirectè censetur dari pro electione aut confirmatione, aut vt cesset.

Si ob munus acceptum, det suffragium.

cesser ab actu, quem Iure probabili poterat oppo-
nere: quæ sola causa est, cur cenferi possit simo-
nia. Si tamen ille postea talis munere inductus,
non solum cesset ab iniuria, sed etiam suffragetur,
si quidem id faciat tanquam sentiens se ob id ob-
strictum tacito pacto, propter acceptam pecu-
niam, suffragium erit nullum, utpote simoniacè
datum: non tamen vitabit electionem, si alij suf-
fragantes sufficiunt. Si verò non det suffragium
nisi ex gratitudine, non erit irritum.

Dixi, *modis aperte iniquis*; quia si Iure aliquo
probabili aut dubio nitatur, non licebit opposi-
tionem illam pecuniâ redimere. Ratio est, quia
talis oppositio facit ius tuum infirmum & am-
biguum: ergo eo ipso quo redimis illam, efficit
ius tuum firmiter & certius; sicque directè paras
tibi viam ad obtinendum beneficium. Secus
est quando alterius machinatio modis aperte ini-
quis nititur. Omnis enim iniusta vexatio, qua
parte manifestè iniusta est, redimi potest, à quo-
cumque inferatur.

108 Dico Secundò, Qui nondum habet ius in re,
Nondum habens ius in re, potest redimere vexationem, &c.
potest oblato pretio redimere vexationem ab his,
qui solum possunt obesse, siue vi & fraude ob-
sint, siue muneribus & precibus, apud electores
vel collatores.

Prior pars, id est, *si vi vel fraude obsint*, explica-
tur & probatur: Detinet me quispiam per vim, ne
me opponam in petitione beneficij, eius amico,
vel postquam me opposui, cepit me infamare
apud Episcopum; possum ei offerre pecuniam
ut desinat nocere. Ita tenet Sotus in duobus istis
casibus lib. 9. quæst. 6. art. 1. in responsione
ad 5. Ratio est, quia hoc non est directè aditum
sibi ad beneficium parare, sed iniquam machina-
tionem alterius impedire: datur enim pretium
pro cessatione nocementi. Confirmatur, quia iste
habet ius acquisitum in sua libertate & fama: ergo
si aliquid det ne ea iniquè violetur, verè redi-
mit vexationem.

109 Posterior pars, *si precibus vel muneribus obsint*,
Si precibus vel muneribus obsint.
est contra Sotum.

Sed probatur Primò, Quia etsi is, qui muneribus
vel precibus peruerit electores in me propen-
satos, non faciat mihi iniuriam, ita ut ad resti-
tutionem teneatur, tamen graue infert nocumen-
tum absque iusta causa: ergo possum illi aliquid
offerre ut cesset ab hoc nocumento; præsertim
cum illa cessatio non sit aliquid spirituale, nec di-
rectè viam ad spirituale sternat.

Secundò, Quia scilicet, qui solum potest obesse,
licitum est offerre pecuniam ut cesset à nocu-
mento quod est contra iustitiam, cur non etiam
ut cesset à nocumento quod est contra charita-
tem? non enim huius cessatio est magis spiritalis,
aut viam sternens ad spirituale, quam cessatio il-
lius. Itaque tam ante quam post electionem lici-
tum est hanc vexationem redimere.

Dices, Illa cessatio à precibus vel muneribus
dandis, non est æstimabilis nisi ratione benefi-
cij, ergo qui dat pro illa pecuniam, censetur
dare pro beneficio. Sicut qui dat pecuniam pro
labore faciendi Sacri, censetur dare pro ipso Sa-
cro; quia labor iste non est æstimabilis nisi ratio-
ne Sacri.

Respondeo, negando consequentiam. quia illa
cessatio non habet æstimationem ex beneficio, nisi
remotè; nimirum ratione spei conceptæ de bene-

uolentia collatoris, si extrinsecus non impediatur.
Sicut esse in familia Episcopi est pretio æstima-
bile, ratione spei obtinendi beneficij, mediante
iptius beneuolentia. Sicut ergo qui dat pecuniam
æconomio Episcopi, ut admittatur in familiam
illius, eo fine ut habeat opportunitatem obtinendi
beneficij ex beneuolentia Episcopi, quam bonis
officiis poterit sibi conciliare, non censetur
dare pecuniam pro beneficio, sed pro quadam
opportunitate ordinata ad obtinendum purè be-
neficium; ita qui pro cessatione illius importuni-
tatis dat pecuniam, non censetur dare pro benefi-
cio, sed pro desitione impedimenti illiciti; qua
posita concipit spem obtinendi beneficij ex colla-
toris beneuolentia. Neque hoc est sternere viam
ad beneficium, nisi indirectè & remotè; sicut in
exemplo allato. Cuius signum est, quòd eo modo
non magis inclinet aut determet animum colla-
toris, quam per se erat inclinatus. Vnde non est
simile, si alicui des pecuniam ne alium idoneum
aut seipsum commendet: quia ius pro se vel alio
solicitandi est spirituale, quo ut cedat das pecu-
niam, ut sic tibi soli ius solicitandi suppetat; quod
est directè parare viam obtinendi beneficij. Simi-
liter non est simile, quod allatum est de labore
sacris: quia ille labor est omnino intrinsecus,
& per se coniunctus sanctitati illius rei. Cessatio
autem impedimenti supradicti est omnino ex-
trinseca & remota obtentioni beneficij. Denique
si non est simonia cum do pecuniam ut cesset à
calumnia apud collatorem, cur sit simonia cum
do ut cesset à precibus & muneribus, quibus me
illicitè impedis; cum cessatio illa à calumnia non
æstimetur à me hinc & nunc nisi ratione spei quam
habeo obtinendi beneficij?

Dico Terriò, Qui habet ius in re per confir-
mationem, vel institutionem, vel liberam colla-
tationem, potest pretio redimere vexationem,
si forte aliquis illum à possessione capiendi im-
pediat. Est communis DD. diui Thomæ artic. 2. nem.
quæst. 100. Caietani tractat. de simonia quæst. 3.
Soti supra, Nauarri cap. 23. num. 102. & colligi-
tur ex cap. Dilectus. 28. de simonia. Idem docet
Canonista in d. c. Dilectus. & in cap. Mat-
thæus 23.

Sotus tamen dubitat num hinc liceat redimere
vexationem ab eo, cuius est in possessionem mit-
tere. Ratio dubitandi est, quia dare aliquid tali
ne impediatur possessionem, est dare ut mittat in
possessionem, non enim aliter definit impedire
possessionem, quam mittendo seu introducendo
in eam: possessio autem est aliquid spirituale: vnde
dare aliquid pro possessione, est aliquid dare pro
re spiritali.

Sed communis sententia est in contrarium. *Possessio*
Vnde dicendum est, possessionem secundum se
non esse quid spirituale, sed id habere ex ti-
tulo cuius vi capitur: quem titulum cum ille
plenè iam teneat, accedente noua possessione,
non accedit noua ratio spiritalis; sed possessio
ipsa per se adiaphora, sit spiritalis ex coniun-
ctione cum titulo. vnde non dat pretium pro
re spiritali.

Notandum hinc est ex Concilio Trident. sess. 24. *Exigentes*
c. 14. de refor. Capitulum aut alios nihil omnino aliquid ab
posse exigere ab iis, qui sunt electi, presentati, in-
stituti, vel instituendi, confirmati, vel confirman-
di, vel possessionem ingressuri, aut distributiones *simonia*
penas in-
rece-
currunt.

recepturi, &c. nisi ex antiqua consuetudine hæc in suos usus solita sint conuerti; alioquin censetur simonia, & incurrent penas simoniacorum; vt ibidem Concilium: quod est diligenter notandum contra communem abusum. Imò Pius V. declarauit, Episcopum, qui aliquid (etsi dulciaria dumtaxat) exigit in receptione alicuius in Canonicum, esse suspensum à Pontificalibus; & Capitulum talia exigens subiaceat Interdicto: priuatas autem personas, sententiæ excommunicationis. Et eos, qui sic aliquid acceperint, ad restitutionem accepti teneri, vt patet ex Bulla Pij V. declaratoria huius decreti, edita anno 1570. pridie Kal. Iunij. Video tamen passim non seruari, & omnino ignorari. Mandat tamen Concilium Episcopis, vt hæc in executionem deducant.

DUBITATIO XIX.

Vtrum licitum sit pecuniam offerre electoribus, uolentibus eligere in Pontificem, Episcopum, Parochum; aliquem indignum seu ineptum, ne talem eligant, sed quempiam idoneum.

112 **R**espondeo & Dico Primò, Pro electione particularis personæ, etiam dignissimæ, non est licitum pecuniam offerre. ratio est, qui hoc esset emere actionem spiritalem, nempe electionem; & ipsum beneficium, sine vlla necessitate; neque censetur esse redemptio vexationis. Excipio tamen casum necessitatis, de quo statim.

Vi non eligatur ineptus.

Dico Secundò, Licitum tamen est offerre pecuniam vt non eligant ineptum. Est communior sententia. ratio est, tum quia hæc est mera redemptio iniuriæ, seu læsionis iniustæ. Ecclesia enim habet ius vt non detur ei minister ineptus: tum quia non eligere ineptum, non est quid spiritale, nec directè munit viam ad spiritale.

113 *Vi eligatur dignus generatim.*

Dico Tertio, Etsi non videatur licitum offerre pretium pro electione particularis personæ, tamen licitum videtur offerre pro electione personæ idoneæ in genere. Ita Sorus l. 9. q. 6. art. 1. & Caietanus tract. de simonia q. 3. & alij.

Probatur Primò, quia, vt rectè Caietanus, eiusdem rationis censetur offerre pretium ne eligant ineptum, & vt eligant aptum: si enim volunt eligere, hoc ipso, quo non eligunt ineptum, necesse est vt eligant idoneum: ergo si illud licet, etiam hoc.

Secundò, Ecclesia ius habet vt ei minister idoneus detur, & talis est ei maximè necessarius; ne videlicet multæ animæ pereant: ergo si non potest obtineri nisi electoribus pecunia detur, non censetur esse vlla irreuerentia eam offerre, vt supra dub. 7. dictum est de Sacramento Baptismi.

Tertio, Si electores nolent eligere vllum, liceret pretio eos ad eligendum inducere, eò quòd Ecclesiæ sit perniciolum carere ministro: ergo etiam vt eligant dignum in genere; quia Ecclesiæ perniciolum est carere ministro idoneo.

Quartò, Quando datur pecunia pro re sacra, necessaria ad grauissimum malum auertendum, censetur esse quædam redemptio vexationis: nam

censetur dari pro malo auertendo; vt supra dubit. 7. ostensum est: ergo & hæc censetur redemptio vexationis.

Petes, Quid si vnus tantum reperiatur idoneus, liceretne tunc offerre pretium vt eligatur, cum electio eius sit necessaria ad malum Ecclesiæ auertendum?

114 *Si solum vnus sit idoneus.*

Respondeo cum Soto supra & Nauarro c. 23. num. 102. id licere, quando nulla alia ratio obtinendi idonei suppetit: id enim rationes allatæ probant. Censetur enim redemptio vexationis. Nam non tam datur pecunia pro electione huius personæ, quàm vt auertatur electio indigni. Et quamuis hæc electio secundum Iura non proficit, tamen potest à Pontifice peti confirmatio, & ita malo imminenti occurreretur.

DUBITATIO XX.

Vtrum licitum sit conferre beneficium, vel quid aliud spiritale pro munere à manu, vel à lingua, vel ab obsequio.

D. Thom. art. 5. quæst. 100.

Respondeo, Non licere; quia omnia hæc sunt pretio æstimabilia. Vnde Urbanus II. l. 1. q. 3. cap. Saluator; *Quisquis res Ecclesiasticas non ad quod instituta sunt, sed ad propria lucra, munere lingua, vel obsequij, vel pecunia largitur, vel adipiscitur, simoniacus est*: quod sumptum est ex Homil. quarta D. Gregorij in Euangelia.

Munus à manu, teste D. Gregorio loco notato, 115 *Munus à manu.* est pecunia, & omne donum quod datur collatori, electori, vel patrono, v. g. equus, torques, annulus, &c. De hoc munere

Dico Primò, Si tale munus des ad conciliandum amicitiam dumtaxat, vt postea tui memor, tibi ex amicitia conferat, non erit simonia in dante, similiter nec in collatore accipiente, si ea tamquam gratis donata accipiat, nec propter illa, quasi pacto obligatus, beneficium conferat. ratio est, quia tunc non interuenit pactum, sine quo non potest esse simonia. Dixi, *Quasi pacto obligatus*; quia etiam si agnoscat se obligatione antidotali (quæ ex virtute gratitudinis oritur) astrictum; & conferat vt huic obligationi satisfaciat, non erit simonia; vt rectè Nauarrus cap. 23. num. 106. & Couar. lib. 1. variat. c. 20. num. 4. quia simonia requirit vt ex obligatione iustitiæ, seu ex pacto detur. Vtrum sit simonia si des vel exigas beneficium pro mutatione, dictum est supra cap. 20. dubit. 9. num. 64.

Aduertendum est, quamuis hæc vera sint in foro conscientie, tamen satis sunt periculosa in praxi: quia sæpè est magnum periculum simoniæ, vel certè non probæ electionis, vbi munerata intercedunt. vnde etiam in Scripturis & apud ethnicos Auctores *de opod'oxia* seu munerum acceptio passim reprehenditur. Exodi 23. *Ne accipias munera, quæ etiam excæcant prudentes, & subuertunt verba iustorum.* Eccli. 20. *Xenia & dona excæcant oculos Iudicum, & quasi frantum in ore, auertunt correptiones eorum.* vide Platonem lib. 3. de Repub. Notum est illud Iugurthæ apud Sallustium, *O venalem urbem, si emptorem inuenire!*

Dico

117

Dico Secundò, Si ea des cum intentione obligandi vete presentet, eligat, vel instituat, erit simonia, saltem mentalis, ex parte tua; similiter ex parte alterius, si eadem mente accipiat, vel postea veluti ex pacto tacito beneficium conferat.

Munus ab obsequio.

Quod dictum est de munere à manu, dicendum de omni obsequio, Ecclesie, collatori, electo, patrono, vel amicis eorum præsisto, quod *munus ab obsequio* vocari solet: si enim præsente obsequium Episcopo, cum tacito quodam pacto ut beneficio compensetur, erit simonia: si vero ut ipse tuam scientiam & dexteritatem perspectam habens, moueatur ad conferendum tibi beneficium, non erit simonia in foro conscientie, etiam si gratis vel exiguo pretio illi seruire velis, modo illum tacito aliquo pacto non intendas obstringere, nec ipse se obstrictum sentiat; non enim prætias obsequia ut Episcopum obliges, sed ut talenta tua ei innotescant. Idem videtur dicendum, si obsequium prætetur ad conciliandam eius amicitiam. Ita Victoria n. 37. ex Caetano art. 3. quamuis hoc in praxi sit periculosum, & exterius speciem referat simoniae. Ipse quoque collator inducitur saltem indirectè, ut in collatione non tam dignitatem recipientis, quam priuata commoda temporalia spectet: quam ob causam talis collatio dicitur interdum simonia, quamuis largè & improprie, ut dictum est supra dubit. 4. Hæc de munere à manu & ab obsequio. Per *munus à lingua* intelliguntur preces, laudes, commendationes, & similia. De his

Ut innotescat in dicitur.

Munus à lingua.

118

Dico Tertio, Si beneficium detur propter munus à lingua, (id est, propter preces, laudes, commendationes) non erit simonia: nisi pactum aliquod tacitum vel expressum interueniat; ut si collator precibus flexus conferat beneficium, aut laudibus præteritis vel speratis inductus. Ita D. Thomas art. 5. & Victoria num. 30. & plerique alij: quamuis quidam, inter quos Durandus in 4. d. 25. quæst. 4. & Adrian. quodlib. 9. existimant esse simoniam, si hæc habeant se instar causæ motiue principalis. Idem insinuat D. Thom. ad 3. Sed verius est, proprie non esse, nisi intercedat pactum, ut patet ex definitione simoniae. potest tamen dici simonia latè, quo modo videtur loqui D. Thomas ad 3.

Simonia latè.

Quod si pactum aliquod expressum vel tacitum interueniat, iam erit simonia; quamuis Victoria num. 35. aliquantulum dubitet. Sed est communis sententia DD. ratio est, quia obligatio laudandi alterum vel commendandi apud Principem, vel rogandi pro illo, est pretio æstimabilis, & pro ea pretium accipi potest. quare quando deducitur in pactum contra rem spiritalem, constituit simoniam. Deinde etiam si non esset pretio æstimabilis; (ut si esset commendatio ad Prælaturam) tamen si in pactum deduceretur pro beneficio, constitueret simoniam, ut patet ex dub. 16. Neque refert, vtrum quis quærat laudem & commendationem propter seipsum, an propter aliquam vltiorem vtilitatem, quam inde sperat; quia neutro modo in pactum deduci potest.

Si interueniat pactum.

DUBITATIO XXI.

Vtrum sit simonia conferre beneficium propter timorem.

Respondeo & Dico Primò, Conferre beneficium propter timorem, si nullum interueniat pactum, non est simonia. Est communis: sicut enim non est simonia, spiritualia facere ex timore; v. g. confiteri, communicare, ut vites penam à Prælo constitutam; ita etiam non est simonia dare ex timore. Pro quo

119 Non est simonia si absit pactum.

Notandum, conferre beneficium ob timorem, est conferre ad vitandum aliquod malum: hoc autem malum potest esse vel odium, quo alius te prosequitur; & ad hoc vitandum conferre beneficium, nihil est aliud quam conferre ut alliciat ad benevolentiam: vel potest esse aliquod damnum externum in vita, fama, fortunis; & ad hoc vitandum conferre, si nulla intercedat obligatio, nihil etiam est aliud quam allicere benevolentiam, ut eam conciliatam non noceat.

Dico Secundò, Si interueniat aliquod pactum, saltem occultum, per quod alter nouo modo in posterum celesatur manere obstrictus ad non nocendum, videtur esse simonia. Ita Sotus lib. 9. quæst. 7. art. 3. & Victor. num. 25. Et quidem si alter Iure poterat mihi nocere, ut qui erat Iudex vel accusator, & ego crimen commiseram, omnino videtur simonia, si dem beneficium ne noceat; quia cessio illius Iuris est pretio digna. Si vero non poterat Iure nocere, ut si erat laico; nihilominus videbitur simonia, si ratione beneficij, nouo modo illum obligem in posterum ad non nocendum. Primò, Quia illa obligatio est pretio æstimabilis; nam est vinculum nouum (superadditum Iuri naturali, si vinculo ille obstringitur lege Iustitiæ mihi non nocere. Secundò, Quia propter tales obligationes quotidie dantur latronibus exactiones mensuræ, tamquam pretia securitatis. si tamen non tam spectetur noua illa obligatio, quam nocenti iniqui euasio, alia est fortasse ratio.

120 Si pactum non nocendi intercedat.

Dico Tertio, Si non intercedat aliqua obligatio in posterum, sed solum agatur de præteriti euitatione mali, iniuste in eum finem intentati, non erit simonia, ad illud euadendum, beneficium conferre vel renunciare. Insinuat Victoria num. 25. & Sotus loco citato. Idem tenent multi recentiores, præsertim in metu amittendæ vitæ & famæ. Probat, quia cap. Abbas 2. de ijs quæ vi metusque causâ fiunt, iubet Alexander III. restitui Ecclesiam ei, qui ne patrimonio exueretur, eidem Ecclesie cum iuramento renuntiaret: ergo censet Pontifex eum non commisisse simoniam; alioquin potius priuasset eum. Simile habemus cap. Ad aures, & cap. Ad audientiam. eodem tit. vbi Innocentius III. hoc extendit ad omnem metum cadentem in constantem virum, docetque eum, qui resignauit beneficium ex tali metu, posse illud repetere. Ratio est Primò, Quia talis nihil censetur accipere, quod antea non haberet: hoc ipso enim quod me non occidis, non infamas, non spolias, non das quidquam pretio æstimabile, ac proinde nihil à te accipio. Secundò, Quia beneficij resignario

121 Si agatur solum de præteriti euitatione, non est simonia.

signatio vel collatio non queritur tamquam pretium, cum quo cessationem iniuriæ commutetur; sed vitur minis tamquam medio ad gratis obtinendam collationem vel resignationem. Itaque tu veris resignatione tamquam conditione necessaria vt malum euadas. Dixi, *In eum finem intentari*; quia si ob alium intentetur, & tu, vt euadas, offeras beneficium, maior videbitur simoniae species. Puto tamen reuera non esse; quia nihil accipis pretio æstimabile: vnde est contractus gratuitus ex tua parte, quamuis nonnulla videatur irreuerentia; nam ita veris re spiritali ad redimendam vexationem, sicut solemus vti pecunia. Neque refert vitrum malum nunc an paulò post sit inferendum: quia æquè est redemptio vexationis; nec quidquam noui acquiritur.

DVBITATIO XXII.

Vtrum pensio possit vendi, aut redimi pecuniâ.

122 **D**ico Primò, Pensio quæ datur ad officium aliquod spiritale, non potest pretio vendi absq; vitio simoniae; nec etiam potest redimi. Est communis Doctorum. Talis est ea pensio, quæ datur adiutori Episcopi, vel concionatori. *ratio cur vendi nequeat*, est, quia datur propter officium Ecclesiasticum, in eoque fundatur, sicut in beneficiis, præbenda fundatur in officio spiritali. nec quidquam ei deest ad rationem beneficii, nisi quòd non sit perpetua. Vnde sicut pro præbenda non potest quidquam dari, ita nec pro tali pensione. *Non potest etiam redimi*, quia redemptione extinguere tur obligatio pensionarij; supponitur autem debere hanc manere, vt officium spiritale præstetur: quòd si pensionarius retineret suam obligationem, possent redimi fructus triennij, sicut & elocati. sed hoc non esset redimere pensionem, sed fructus.

123 **D**ico Secundò, Pensio illa quæ fundatur in titulo merè temporali, potest redimi, & etiam sine simonia vendi pretio; Victoria relectione 1. de simonia, n. 54. Sotus l. 9. q. 7. ar. 2. & alij. Ratio est, quia nec in titulo spiritali fundatur, nec refertur ad functionem spiritalem.

Quatuor pensionum species.
Sed difficultas est de reliquis pensionibus, quæ sunt quadruplices. Prima, quæ datur Parocho seni, non valenti amplius deseruire, vt se sustentet beneficio eius alteri collato. Secunda, quæ datur pauperi Clerico ad sustentationem. Tertia, Quæ ad litem componendam. Quarta, Quæ datur resignanti in fauorem, vel commutanti cum altero. Nunc

124 **D**ico Tertiò, Non est simonia, si is, qui aliquam ex his pensionibus debet, eam præsentem pecunia redimat. Ita docet Toletus lib. 5. cap. 92. Caietan. tom. 1. opusc. 31. resp. 10. & passim DD. in Clem. vnicam. §. Eadem quoque auctoritate, de supplendis negligent. Prælatorum: vbi vide Guilielmum Laudunensem, Anton. de Butrio, Zabar. & Imolam. Idem patet ex praxi recepta, qua huiusmodi pensiones solent redimi seu extinguere, consentiente pensionario, quinque annis. Neque ad hoc opus est alia facultate, vt inquit Toletus. Ratio est, quia redimere talem pensionem, non est emere aliquod ius spiritale, sed extinguere onus tem-

porale; scilicet debitum soluendi quotannis certam summam.

Notandum tamen est, dum quis resignat beneficium sub onere pensionis, non posse fieri pactum vt constituta pensio redimatur; id enim apertam continet simoniam, vt docent Caietan. & Toletus supra, estque euidens ex dictis dub. 16. istud enim onus est pretio æstimabile. Pari modo simonia est, si pensionem redimas resignando vel conferendo beneficium; quia datur beneficium pro re temporali: eiusdem enim rationis est, extinguere aliquod debitum seu onus temporale, & tantumdem acquirere.

Dico Quartò, Probabilius est, si Ius antiquum spectemus, non esse simoniam, aliquam ex his pensionibus emere aut vendere. Ita tenet Caietanus & Canonista supra, de pensione, quæ datur Parocho seni; quæ tamen magis videtur annexa spiritalibus, quàm ceteræ. Sotus tamen lib. 9. quæst. 7. ar. 2. & Victor. num. 49. inclinant in contrariam sententiam de pensione Parochi, etsi nobiscum sentiant de ceteris. Sed probatur, quia illa pensio Parochi non datur ad obeundum aliquod officium spiritale, sed solùm ad alimenta: ergo non est spiritalis, sed merè temporalis, ex gratitudine vel misericordia à dispensatore bonorum Ecclesiasticorum concessa.

Dices, Datur propter officium spiritale præteritum: ergo censetur spiritalis, non minùs quàm si pro futuro daretur. Ita Victoria dubitando ratiocinatur.

Respondeo Primò, Non datur propter officium præteritum, tamquam debita mediante officio; nam pro officio præterito mercedem sustentationis accipit; sed officium præteritum est conditio sine qua non daretur ei. datur autem ex misericordia seu gratitudine tamquam ius merè temporale. sicut si daretur vsufructus alicuius agri ad vitam, ob similem causam.

Respondeo Secundò, Ius ad certos prouentus non censeri spiritale, nisi quatenus habetur mediante officio spiritali præstando; non autem dum habetur mediante officio iam præstito, v. g. Parochus non habet ius ad fructus anni sequentis, nisi ratione officij præstandi, ac proinde non habet ius immediatum, sed mediante officio spiritali; vnde non potest illud ius vendere, nisi simul vendat officium, quod est ius fundamentale, ex quo nasci debet ius immediatum in fructus. officio autem præstito habet ius immediatum in illos; quod ius tunc est merè temporale, non amplius connexum rei spiritali, vt quæ iam transierit. ex officio enim spiritali potest nasci ius merè temporale, sicut & dominium, & possessio. non enim est ratio cur magis ius ad 100. aureos ob officium spiritale præstitum sit spiritale, quàm dominium & possessio eorundem centum aureorum iam receptorum; nam ius in re & ad rem sunt eiusdem ordinis: atqui certum est, hoc dominium esse temporale sicut & possessionem: ergo & ius ad illud est temporale.

Dices, Quomodo ergo ius præbendarum dicitur esse spiritale?

Resp. Quatenus continetur in officio tamquam in fundamento, & per officium possidetur. vnde sicut officium est spiritale, ita etiam ius præbendæ, ratione officij competens: quare sicut officium vendi non potest; ita nec illud. postquam autem

S f fun-

fundio officij est præstita, manet ius formale merè temporale ad illos prouentus, quod per se immediatè & formaliter possidetur. vide suprâ dubit. 2. & 4.

Quòd etiam ea pensio, quæ datur Clerico pauperi, non sit spiritalis, probatur, quia non datur propter officium spiritale, uti suppono, sed ad sola alimenta, ob paupertatem: titulus autem clericalis solum se habet concomitanter tamquam dispositio subiecti. sicut cum quis relinquit legatum pauperibus Clericis, ius ad illud legatum non efficitur spiritale ratione clericatus. Confirmatur, quia ius fructuum datur personæ pauperi, non tamen titulo clericali, quamuis hic sit causa sine qua non: quod etiam interdum accidit in bursis, ut vocant, Collegiorum.

Ius datur personæ vel titulo.

Vbi Notandum, esse magnum discrimè utrum ius fructuum immediatè detur personæ, quamuis in ea requiratur certa conditio spiritalis; an verò detur ipsi spiritali titulo. si enim titulo spiritali annectatur, ita ut qui illum titulum acquirit, simul acquirit ius prouentuum, iam hoc ius spiritale erit, nec vendi poterit; ut si statui clericali in tota Ecclesia, vel in aliqua diocesi esset annexum ius prouentuum Ecclesiasticorum ad 100. florenos. Secus autem si immediatè detur personæ.

De reliquis probatur eadem ratione, quia non dantur ob vllum officium spiritale, nec ob vllum alium titulum spiritalem; ex quo illud ius assidue dependeat. & de hisce pensionibus nobiscum sentit Sotus q. 7. a. 2. & confirmatur ex cap. Ad questiones, de rerum permutatione, si quis illud benè expendat; nam possessiones, (id est, iura possessionum) separatim ab officiis spiritalibus permittuntur redimi: eiusdem autem rationis est, aliquid redimi & vendi.

Obiectio.

Dices Primò, Beneficium potest commutari cum pensione: ergo pensio est quid spiritale. Antecedens probatur ex multorum vsu.

Respon.

Respondeo, Si talis est vsus (quem tamen alij negant) illi sequuntur alteram opinionem, quæ censet pensionem esse quid spiritale.

128
Obiectio 2.

Dices Secundò, Pensio est magis spiritalis, quam ius patronatus; quia requirit titulum clericalem, & prouenit ex potestate spiritali, & pensionarius debet manere in statu Ecclesiastico: alioquin si in minoribus constitutus in matrimonium, amittit ipso facto pensionem, sicut suprâ, cap. 34. dub. 21. diximus, & docet Couarruuias, de sponsalibus p. 2. c. 6. §. 3. n. 6.

Respon.
Ius patronatus.

Respondeo, Ius patronatus per se vendi non posse, quia suam æstimationem habet ex ordine ad officium spiritale. est enim ius præsentandi. vnde est reuera spiritale, sicut officium; quamuis ex iure temporali dependeat, cum quo tum venditione, tum successione hereditaria transit. pensio autem est ius ad rem omnino temporalem. Nec refert, quòd à potestate spiritali concedatur; quia alioquin eleemosynæ à Papa concessæ dominium esset spiritale. Status verò clericatus requiritur solum ut conditio subiecti; sicut in bursis Collegiorum fieri potest. Vnde huiusmodi pensiones solent dici spiritalis ratione subiecti.

129
Constitutio Pij V. de pensionibus.

Notandum tamen, vbi Bulla Pij V. de pensionibus est recepta, ibi pensionem esse rem spiritalem. statuit enim Pius V. ut omnes pensionarij ratione pensionis teneantur recitare Officium B. Virginis: quia ratione pensio reuera est quod-

dam beneficium. sed plerisque locis hæc Bulla non videtur recepta, quia à plurimis ignoratur; vel etiam sciat, non est in praxim vquam deducta.

Notandum Secundò, Et si Bulla Pij V. recepta non sit, tamen huiusmodi pensiones vendi non posse absque Pontificis facultate; quia stylo Curie est prohibitum, & vendens punitur ut simoniacus. permittuntur tamen redimi, teste Toledo suprâ.

Sequitur tertia pars huius capituli, De pœnis simoniacorum.

DVBITATIO XXIII.

Quas pœnas inducat simonia commissâ circa ingressum Religionis.

Notandum Primò, Nullam simoniam inducere pœnas Iuris ipso facto, nisi in Ordine, beneficiis, & Religionis ingressu, ut docet Nauarrus, cap. 23. nu. 111. & Siluester v. Simonia quæst. 19. Vnde si quis in aliis Sacramentis conferendis, vel accipiendis, in consecrationibus, benedictionibus, dispensationibus, in pensione vendenda, vel emenda, vel redimenda, in vicaria temporali conferenda, simoniam committat, grauius quidem peccabit, non tamen contrahet pœnam excommunicationis, suspensionis, aut inhabilitatis.

Notandum Secundò, Etiam simoniam mentalem, quæ absque externo aliquo contractu tacito vel expresso in Ordine, beneficiis, & Religione peragitur, nullas pœnas Iuris inducere, ut communiter DD. docent: imò plerique DD. sentiunt, Ecclesiam non posse simoniam internam, quæ nullo modo in opere externo ex natura rei deprehendi potest, punire; eò quòd eius iurisdicctio solum ad opera externa prædicta & veranda, & consequenter ad puniendam se extendat. quod an verum sit, alibi examinandum. Interim satis constat, mentem Ecclesiæ non esse ut hæc pœna ob simoniam mentalem irrogentur, ut patet Extrauag. Cùm detestabile, de simonia, & cap. fin. Eodem tit. in Decretalibus.

His positus, Respondeo, Simoniam realem circa Religionis ingressum, Primò, Singularibus personis, tam dantibus quam accipientibus, inducere excommunicationem.

Secundò, Conuentui seu Capitulo, si consenserit in hanc simoniam, suspensionem: (nimirum ab officio capitalari ad iurisdictionem vel administrationem Ecclesiasticam pertinente.) Vtrumque patet Extrauag. Urbani I V. quæ incipit, Sanè ne in vinea Domini, de simonia: vbi sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda præcipitur, *Ne dentur vel exigantur in Religionis ingressu, seu receptione personarum, pastus, prandia, pecunia, socialia, aut res alia, etiam ad primum usum deputanda, &c.* vnde mirum est, Nauarr. & Siluest. suprâ docere, solam simoniam in Ordine & beneficiis inducere excommunicationem. nisi forte velint inlinuare hæc Extrauag. non esse receptam; quod credo esse verum.

Aduerte tamen, hanc censuram non habere locum in dote, quæ datur Monasterijs feminarum; ita enim statuit Martinus V. ut ex Archidiacono refert Siluester v. Simonia, nu. 15. Idem concessit

Cle-

130
Pœna Iuris solum contrahuntur ob simoniam in Ordine, beneficiis, & Religione.

Simoniam mentalem.

131
Realis simonia in Religione, pœna.

Clemens VII. vt refert Nauarrus c. 27. n. 106. Imò confuetudo illa exigenda dotis, non pro ipfo ingreffu Religionis, fed pro alimentis Monialis; paffim permittitur tanquam licita. maxime fi Monafterium fit tenue. vide fuprà dub. 12.

132
Debent in
aliud Mo-
nafterium
destrudi.

Tertiò, Simoniacè admiſſi ad Religionem, videntur Iure inhabiles ad manendum in illo Monafterio, vbi fic recepti funt: nam egent difpenſatione Ordinarij vt in eo poſſint permanere; vt patet dicta Extrauag. Secus eſt fi ipſis ignorantibus ſimonia commiſſa eſt. hoc tamen non ita eſt intelligendum, quaſi profeſſio eorum fit nulla, aut quaſi per ſimoniacam profeſſionem non fiant veri Religioſi: fed quia non acquirunt ius præbendæ regularis, ſeu portionis ordinariæ, & vocis actiuae & paſſiuae, quod ius eſt inſtar præbendæ canonicæ. Ad hoc igitur egent difpenſatione. Ita Nauarrus comment. 4. de Regular. n. 25.

Non tenentur
ſe ipſe
ſpoliare.

Aduerte tamen, eum, qui fic receptus eſt, poſſe in Monafterio illo remanere & frui ceterorum commodis, donec per Superiorem compellatur aliud ingredi; cum enim profeſſio eius fit valida, & per eam ad profeſſorum onera obligetur, nimis durum videtur per ſeipſum profeſſorum commodis ſpoliare teneatur. Dignus eſt enim operarius cibo ſuo: nec poenæ ſimoniae, quæ in beneficiis committitur, hic locum habent, cum præbenda monachalis non fit propriè beneficium Eccleſiaſticum, ſed nudum ius alimentorum, fundatum in ſtatu regulari & profeſſione, &c.

DVBITATIO XXIV.

Quas poenas inducat ſimonia realis in Ordinibus.

133
Conferens
Ordines
ſimoniacè,
incurrit
has poenas.
1. Excom-
municacionem.

An idem
ad alia
extendatur.

Dico Primò, Conferens Ordines per ſimoniam realem, eſt excommunicatus: Extrauag. Cum detestabile, de ſimonia. Idem extendunt quidam ad eos, qui pro prima tonſura, vel pro litteris dimiſſoriis, vel teſtimonialibus, vel ſigillo, aliquid ſimoniacè accipiunt; idque probant ex Concil. Trident. ſeſſ. 21. cap. 1. vbi cum Concilium prohibuiſſet ne pro collatione quorumcumque Ordinum, etiam clericalis tonſurae, aut pro litteris dimiſſoriis, vel teſtimonialibus, aut pro ſigillo, aliæ cauſa quidquam etiam ſponte oblatum Episcopii aut eorum miniſtri, quouis prætextu acciperent, tandem ſubiicit: *Si contra fecerint, tam dantes quam accipientes, poenas à Iure inſtitutas incurrant.*

Sed hæc extenſio ita generaliter facta non placet. Primò, Quia non videtur rationi contentaneum vt incurram excommunicationem, quia ſoluo aliquid pro litteris teſtimonialibus aut ſigillo, cum hoc fit mera redemptio vexationis.

Secundò, Durum videtur, vt Episcopus aut miniſtri eandem cenſuram incurrant, ſi aliquid ſponte oblatum acceperint.

Tertiò, Nullo Iure pro his eſt poena excommunicationis ſtatuta. Concilium autem non videtur velle nouas poenas inducere, (alioquin clariùs id explicuiſſet;) ſed ſolum renouare quod olim Iure ſtatutum erat. vnde illa verba, *Poenas Iuris incurrant*, ſolum referenda ſunt ad eos; in

quos Iure ſunt ſtatuta, nempe ad conferentes vel accipientes Ordinem ſimoniacè. Idem colligitur aperte ex Nauarro cap. 27. n. 111.

Notandum eſt, Concilium aperte loqui de ſimonia reali, id eſt, quæ vtrimque completa eſt, vt patet ex verbis, *tam dantes quam accipientes*, de eadem loquitur Extrauagans, Cum detestabile, vt patet ex verbis, *qui dando, vel recipiendo ſimoniam commiſerunt*. Vnde non eſt excommunicatus, qui per conuentionalem ſimoniam Ordinem confert; niſi res promiſſa ſoluta fuerit, vt rectè docet Nauarrus cap. 23. num. 104. de quo infra dubit. 27.

134
Hæc intel-
ligenda de
reali v-
trimque
completa.

Secundò, Eſt ſuſpenſus à collatione cuiuſvis Ordinis, etiam primæ tonſurae. Ita habet Bulla Sixti V. edita in malè promouentes & promotos, v. *Ceterum ſi quis Antistes*. & quamuis hæc in ceteris punctis redacta ſit ad terminos Iuris communis à Clemente VIII. tamen in hoc de ſimoniacè promouentibus & promotis, relicta eſt in ſuo vigore, & ab eodem confirmata.

2. Suſpen-
ſionem.

Tertiò, Eſt ſuſpenſus ab executione omnium munerum Pontificalium; ita Bulla Sixtina; vt à conſecratione templorum, altarium, calicum, Abbatum, virginum, à benedictione veſtium ſacrarum, &c. Vtrum autem Iure antiquo, ſepoſita dicta conſtitutione, ſuſpenſus ſit, dubium eſt. Quidam affirmant, ob cap. penultimum de ſuſpenſionibus, vbi per triennium Episcopus ab Ordinum collatione ſuſpenditur, qui ab ordinando exigit iuſurandum vel promiſſionem, qua promittat ſe non petiturum ab illo prouiſionem. Sed cum in hoc caſu ſit peculiaris ratio, non debet ad alios diſſimiles extendi; vnde cum nihil Iure ſit expreſſum, verius puto non eſſe Iure antiquo ſuſpenſum.

Vtrum Iu-
re antiquo
ſit ſuſpen-
ſus.

Quartò, Interdictus eſt illi ingreſſus Eccleſia; ibidem.

3. Interdi-
ctum in
greſſus
Eccleſia.

Quintò, Si contra ſuſpenſionem vel interdium illud fecerit, eſt ſuſpenſus ab adminiſtratione ſuae Eccleſia, & à perceptione fructuum omnium ſuorum beneficiorum; ibidem.

Sextò, Nemo poteſt illum abſoluere, præter Romanum Pontificem; etiamſi delictum ſit occultum: quia Pontifex id ſibi reſeruat, cum clauſula derogatoria omnium priuilegiarum Regularibus datorum, & conſeſſionis factæ Episcopis à Concil. Trident. ſeſſ. 24. cap. 6. Puto tamen hanc Sixtinam plerisque locis ignorari, ac proinde non eſſe vſu receptam.

Dico Secundò, Qui Ordinem aliquem per ſimoniam realem ſuſceperit,

135
Accipiens
Ordines
ſimoniacè,
incurrit
has poenas.

Primò, Eſt excommunicatus ipſo facto; Extrauag. Cum detestabile.

Secundò, Eſt ſuſpenſus ab executione ſuorum Ordinum. Nec refert, vtrum crimen ſit occultum an publicum, vt habetur dicta Extrau. Vtrum autem ab omnibus ſit ſuſpenſus, an ſolum ab eo quem ſimoniacè ſuſcepit, dubitari poteſt. Communior ſententia DD. eſt, ab omnium Ordinum executione ſuſpenſum eſſe. Ita tenet Silueſter v. Suſpenſio, n. 7. & alij: nam ſupradicta Extrauagante dicitur: *Simoniacè ordinati, ab executione ſuorum Ordinum ſunt ſuſpenſi*. Videri tamen queat contrarium non improbabile; quia Iure non videtur fatiſ expreſſum: verba enim illa commodè poſſe intelligi de Ordinibus ſimoniacè ſuſceptis; vt in quo quis peccauit, in eo puniatur. quare cum

pœna sint restringende, ita illa verba esse accipienda; alioquin dicendum fuisset, Ab omnium Ordinum etiam antè susceptorum executione sint suspensi. Verùm quia Auctores non inuenio, placet sententia communis.

136
Si alius te ignorante pecuniam dedit, non es suspensus.

Quòd si alius te ignorante pro tua ordinatione pecuniam dederit, certum est te non fore suspensum ab aliis Ordinibus antè susceptis. multum tamen putant te fore suspensum ab Ordine sic suscepto; quam sententiam Felinus in cap. Per tuas, de simonia nu. 3. dicit communem. eandem tenet Siluester v. Suspensio, n. 7.

Sed contrarium videtur verius; quod tenet Nauarrus cap. 25. num. 68. vbi pro hac sententia citat Bellamerum & Cardinalem. Ratio est, quia id Iure non est expressum: & aliàs æquum videtur, vt eùm ordinatio sit valida, nec possit ei auferri, non prohibeatur eius vsu per iniquitatem alterius. cur enim cogetur manere cælebs vt sacerdos, non concessio sacerdotij vsu? nihil enim commertur cur ei hæc pœna irrogetur.

Addo, non incurere excommunicationem aut suspensionem, etiam si post ordinationem, id quod se in scio datum est ab amico pro ordinatione, eisdem restituat, aut compenset: vt idem Nauarrus dicto n. 68. contra Siluestrum docet.

Tertiò, Si præsumpserit in illa suspensione ministrare, efficitur irregularis: (vt qui censuram violenter) deinde per Bullam Sixtinam ipso facto priuatur omnibus dignitatibus, beneficiis, officiis, & efficitur inhabilis ad omnia.

Quartò, Nemo præter Romanum Pontificem potest illum absoluerè à censuris, aut cum eo dispensare, vt patet ex Bulla Sixti; vbi reuocat concessionem omnes & facultates per quas possit quis absolui. Seposita autem hac Bulla, potest Episcopus, si casus sit occultus, & necdum ad forum externum deductus, Concilium Trid. sess. 24. c. 6. quod verum est, etiam si cum ipso hæc simonia commissæ esset; quia per hoc non est sua potestate priuatus aut suspensus.

Episcopus absoluit.

Quidam addunt, eum qui per simoniam ordinatur, fieri irregularem, eò quòd accipiat Ordines in excommunicatione. Ita Hugolinus tab. 4. c. 4.

Ordinatus simoniacè an irregularis.

Sed contrarium est verius, nam per susceptionem Ordinis incurrit excommunicationem; ac proinde per eandem non potest incurere irregularitatem, debent enim esse distincti actus. idèd enim incurritur irregularitas, quia in excommunicatione iam antè existens, ausus est Ordinem suscipere.

D V B I T A T I O XXV.

Quas pœnas inducat simonia realis in beneficiis.

137
Procurans alteri beneficium per simoniam realem.

Dico Primò, Qui beneficium confert vel procurat alteri per simoniam realem, eligendo, presentando, postulando, instituendo, confirmando, commendando, est ipso facto excommunicatus; Extrau. Cùm detestabile hoc tamen non habet locum in officiis Ecclesiasticis, quæ non sunt beneficia, neque in pensionibus, vel vicariis temporalibus; quia dicta Extrauagans non loquitur de talibus, cum non sint beneficia. vide Nauarrum c. 23. numero 111.

Nomine beneficij etiam comprehendimus Abbatiam & Prioratum; quia secundum Nauarrum sunt beneficia regularia, & Extrauagans expressè de illis loquitur. Idem dixerim de similibus Prælaturis Regularium, quæ non consistunt in nuda commissione ad nutum reuocabili, sed in munere ordinario, vt est Rectoratus, Prouincialatus, Generalatus; quia eadem est ratio, & eadem incommoda, imò grauiora, ex simoniaca horum acquisitione sequerentur.

Dico Secundò, Qui verò beneficium per talem simoniam acquirit,

Accipiens.

Primò, est ipso facto excommunicatus, Extrau. supra.

Secundò, Omnis collatio & prouisio huiusmodi est nulla, nullumque ius tribuit, dicta Extrauag. vbi decernitur, vt electiones, presentationes, collationes, & alia prouisiones beneficiorum per simoniam realem factæ, sint irritæ, & nullum ius tribuant, & vt prouisi fructus non faciant suos, sed sub periculo anime sue ad eorum restitutionem teneantur. Idem dicendum, si tu quidem simoniam non fecisti, sed te sciente & non contradicente facta est ab alio pro te. cap. Nobis fuit, 27. de simonia, iuncta Glossa, & cap. Sicut tuis, 33. eodem. vide Couar. reg. Peccatum, p. 2. §. 8. n. 7.

Petes, Quid si legitimè electus vel presentatus committat simoniam pro confirmatione, vel institutione obtinenda, eritne etiam ipsa electio & presentatio irrita?

138

Electio non est irrita, si simonia pro institutione committatur.

Quidam putant esse irritam. Ita Hugolinus supra c. 5. ex Felino in cap. Sicut tuis, de simonia.

Sed contrarium puto verius, quia Iure non reperitur expressum: imò contrarium insinuat cap. Si confirmationem, de electione, in 6. non enim si posterior actus est irritus, etiam prior irritus censeri debet. Vnde puto sufficere vt tollatur inhabilitas contracta per actum posteriorem; nec opus esse noua electione aut presentatione. Si vero in priore actu simonia commissæ sit, omnes sequentes sunt irriti; quia vano fundamento nituntur: procedunt enim ex suppositione validitatis prioris actus.

Tertiò, Fit inhabilis ad idem beneficium obtinendum, cap. Nobis fuit, de simonia, &c. pænult. de electione, vbi dicitur, Episcopum non posse dispensare vt habeas Prælaturam, quæ tibi per simoniam te ignorante commissam, collata fuit; secus verò si sit beneficium simplex, quòd si hic eget dispensatione, multò magis is qui sciuit, & non contradixit, vel per se commisit simoniam, dispensatione eget, ac proinde absque dispensatione inhabilis est. nemo enim eget dispensatione, id est, relaxatione Iuris, nisi qui Iure impeditur.

139
Inhabilitas.

Petes, Quis possit hanc inhabilitatem tollere?

140

Resp. Certum est, si simonia sit publica, vel deducta ad forum externum, & consentiente beneficiario commissæ, inhabilitatem ex ea contractam non posse tolli per Episcopum, sed per solum Papam.

est communis sententia Doctorum: & satis colligitur ex Iuribus citatis. Si verò sit omnino occulta, quidam putat per Episcopum tolli posse; tum quia nullo Iure referuatur Summo Pontifici; tum quia etiam si referuata esset, videretur tamen concessa per Conc. Trid. sess. 24. c. 6. sub nomine suspensionis, vel irregularitatis, vel casus occulti. Ita Henricus c. 56. de excommunicatione, & quidam alij. Quæ sententia etiam videatur satis probabilis; contraria

Quis eam tollat.

tartaria

traria tamen est communior DD. tutior & praxi conformior.

Regula de triennali possessore.

Quarto, Regula de triennali possessore non prodest simoniace ingressis in beneficium, sicut nec intrusis, ut habetur in regul. Cancellariae, de triennali possessore. vide Gomezium quaest. 12. in illam regulam. unde etiam post triennij possessione potest eis his intentari, & beneficium adimi, etiam si solum simoniam conventionalem admiserint, ut idem Gomezius docet. Secus est de aliis, qui per tantum temporis spatium colorato aliquo titulo beneficium possederunt. hi enim, si bona fide possederint, non solum exceptione impetentes repellunt, sed etiam in foro conscientiae beneficium retinere possunt, ut supra cap. 6. dub. 10. probabiliter ostensum est. Prodest tamen haec regula ei, quo ignorante simonia commissa est, ut idem Gomezius supra docet: quia hic non peccavit. maxime si res sit occulta; quia tunc semper habet titulum coloratum.

141 Mediators.

Quinto, Mediatores in simonia beneficij & Ordinis, incurrunt poenam excommunicationis ipso facto, si ad executionem vtriusque ventum fuerit, ut patet dicta Extrauag. Cum deestabile, ut parentes, amici, procuratores, & omnes, qui suam operam interponunt ut beneficium simoniace obtineatur.

Communiore sententia DD. est, incurrere, quia hi in iure dicuntur simoniaci, & suum contractum vtriusque complent.

Petes Primò, Vtrum qui sua auctoritate beneficia permutant, has poenas incurrant?

Respondeo, Communiore sententia DD. est, incurrere, quia hi in iure dicuntur simoniaci, & suum contractum vtriusque complent.

Contraria tamen sententia est probabilis, quam tenet Petrus Nauar. lib. 2. c. 2. nu. 435. Arragon. in fine operis, & quidam alij recentiores. fauet Coarruuias lib. 1. var. c. 5. n. 3. in fine, & nu. 5. Ratio est, quia hic non est proprie dicta simonia, cum non detur temporale pro spiritali; sed generaliori modo simonia vocatur, ut supra ostensum est: ergo quando iura dicunt simoniacos esse ipso facto excommunicatos, non debet hoc extendi ad hanc simoniam, sed solum ad eam, quae proprie & strictè simonia dicitur; poenae enim sunt restringendae. Confirmatur, quia iura quae loquuntur de hac permutatione, non habent vllam poenam ipso facto incurrendam, sed solum loquuntur de poena ferenda, ut patet cap. Cum olim. 7. de rerum permutatione. c. Cum pridem. 4. de pactis. cap. Sicut tuis. 33. cap. Tanta. 7. & cap. De hoc autem. 11. de simonia. Nec obstat, quod in Extrauag. Cum deestabile, dicitur, qui quomodolibet dando vel accipiendo simoniam commiserint, &c. quia hoc intelligendum est de simonia proprie dicta.

Petes Secundò, Quid si per ignorantiam inculpata simonia sit commissa?

142 Si per ignorantiam commissa.

Resp. Si ab aliis te ignorante, tua causa simonia commissa est, non incurris quidem poenam excommunicationis; efficeris tamen inhabilis ad idem beneficium, ita ut absque dispensatione non possit tibi illa vice conferri; idque in poenam illorum, qui simoniace te promouere voluerunt; ut patet ex cap. Nobis fuit. & cap. Sicut tuis. iuncta Glossa, de simonia. Quod si illi laborassent ignorantia inculpata, tunc neque inhabilis efficereris; quia nulla culpa commissa est, ob quam illa inhabilitas est constituta. unde postea illud beneficium tibi secundo conferri absque vlla dispensatione. Idem videtur dicendum, si contractus simoniacus

ab ipso beneficiario per ignorantiam celebratus sit. In vtroque tamen casu beneficium resignari debet, nisi secundo conferatur; quia prior collatio irrita fuit, utpote per contractum irritum facta.

Notandi tamen sunt tres casus, quibus non teneris beneficium resignare, etsi illud dato pretio consecutus sis.

143 Tres casus, quibus non debet resignari.

Primus est, Si inimicus tuus occultè per fraudem pecuniam dedit, eo sine ut collatio tibi facta, sit inualida, & tu inhabilis; ut habemus cap. Nobis fuit. & cap. Sicut tuis litteris, de simonia. Secus si amicus ut tibi prodesset, ut solent parentes pro filiis. Tunc enim simulatque sciueris, teneris dimittere, ut expressè habetur dict. cap. Sicut tuis. Imò efficeris inhabilis ad idem beneficium, ut dictum est num. 139.

2. Casus.

Secundus est, Si tu metuens ne quis pecuniam pro beneficio tibi impetrando daret, expressè contradixisti. Ita habemus cap. Sicut tuis litteris, eodem. quod non tantum locum habet quando pecunia datur pro confirmatione eius, qui iam est electus; sed etiam quando datur pro ipsa electione, vel praesentatione, vel collatione; ut docet Nauarrus in cap. fin. de simonia, & Lopez p. 2. cap. 106. & colligitur ex D. Thoma quaest. 100. art. 6. ad 3. Haec tamen contradictio nihil proderit, si ea non obstante, ante collationem scias pecuniam reuera datam, & nihilominus illam acceptes. Tunc enim cum scires collationem esse simoniacam, tenebaris eam non admittere. Unde si admittas, peccas acceptando beneficium ex collatione simoniaca: & quamuis non incurras poenam excommunicationis, quia non es causa simoniaci contractus; tamen teneris resignare, & efficeris inhabilis, ut patet ex dictis n. 139. & 142.

In hoc tamen casu difficultas est, Vtrum si post obtentum beneficium consentias, soluendo pecuniam per alium promissam, vel refundendo solutam, tenearis resignare beneficium, & restituere fructus perceptos, quando antea contradixisti.

144 An teneatur resignare si solueris pecuniam ab alio promissam.

Ad quam respondendum, Si non consentias in factum alterius, ratum habendo contractum, seu promissionem simoniacam amici, sed solum ex amicitia soluas id, quod ipse amore tui dedit vel promisit, ne videlicet ipse tua causa damnum sentiat; non teneris restituere, imò nec peccas; ut rectè Nauarrus lib. 5. consil. 10. de simonia, probat. illud enim soluere ex amicitia, ne amicus grauetur, non est malum, neque est approbare factum amici: sicut patens soluendo debita filij, quae ipse male contraxit, non approbat facta illa, quibus contraxit; sed id facit ex amore filij, ne ipse infamis habeatur. Si verò consentias approbando factum amici, iam incurris simoniam, & teneris resignare beneficium, & fructus restituere; iuxta D. Thomam artic. 6. ad 3. qui id colligit ex dicto cap. Sicut tuis. Idem sentit Panormitan. & insinuat Nauarrus supra.

Non teneatur, si non approbas contractum.

Contrarium tamen, id est, quòd non teneatur etiam in hoc casu resignare, docet Adrianus quodlibet. 9. art. 6. littera C. Ratio est, quia illa ratificatio, quae fit post legitimam collationem & ius acquisitionem, non potest eam inficere, aut simoniacam efficere. Sicut, inquit, si quis pro beneficio sibi gratis collato, postea animo mercimoniali pecuniam solueret, non inficere tur, nec irrita redderetur prior collatio legitime facta. Idem tenet Tancredus, ut refert Glossa

Sententia Adriani.

in dictum cap. Sicut. Nec obstat; *Ratificationem retrotrahi, & mandato comparari.* regul. 10. in 6. quia id intelligendum in iis, quæ pendent à consensu ratificantis, non autem quæ antea absolute & plenè peracta. Similiter non officit dictum cap. Sicut, ubi sic habetur: *Ex eo, quod contra prohibitionem & voluntatem tuam (à qua postmodum minimè recessisti) aliquis te penitus ignorante pecuniam promissit, & excoluit, nihil debet tibi ad pœnam vel culpam imputari, nisi postea consenseris pecuniam solvendo promissam, aut reddendo solutam.* quia hinc nihil aliud sequitur, quàm aliquid debere tibi in culpam vel pœnam imputari, si consenseris in factum alterius. *In pœnam, vel culpam,* inquit, non autem *in pœnam & culpam.* & quamvis diceret *in pœnam & culpam,* non tamen inde sequitur; collationem vel confirmationem priorem fuisse irritam, aut beneficium debere dimitti: potest enim intelligi de pœna ferenda. Hæc sententia videtur mihi valde probabilis. Fateor tamen, talem mereri priuari per sententiam causa cognita. Addi potest

3. Casus.
145
Pontifex
simoniacè
electus.

Tertius casus, Si Papa ad Papatum per simoniam peruenisset, non teneretur resignare; modò à duabus partibus Cardinalium concorditer electus fuerit. Probari potest ex cap. Licet. 6. de electione, ubi Alexander III. statuit, *ut ille absque ulla exceptione ab universali Ecclesia Romanus Pontifex habeatur, qui à duabus partibus Cardinalium concordantibus electus fuerit & receptus.* Ratio est, quia si talis electio esset irrita, sæpè Ecclesia posset esse sine capite; saltem esset sæpè incerta. Hæc sententia est valde probabilis.

Contraria tamen, nempe quòd talis non sit verus Pontifex, & teneatur Pontificatum deponere, videtur quibusdam verior. Nam cap. Si quis pecunia, d. 79. Nicolaus II. statuit; *Si quis pecunia vel gratia humana, sine concordia & canonica electione, & Cardinalium, & sequentium religiosorum Clericorum fuerit Apostolica Sedi inthronizatus, non Apostolicus, sed Apostaricus habeatur.* Glossa hoc intelligit de eo, qui per simoniam electus est ab illis, qui non habent potestatem eligendi, non à Cardinalibus. Sed primò, Hæc Glossa est contra textum, inquit Maior d. 25. dub. 1. de pœna simoniacorum. Deinde qui per simoniam electus est, etiam à Cardinalibus, non est canonicè electus; quod tamen requirit iste Canon. Idem probari potest ex Concilio Lateran. sub Julio II. sess. 5. ubi sacro approbante Concilio statuitur, *ut electio Romani Pontificis per simoniam facta, eo ipso nulla existat, & sic electo nulla in spiritualibus vel temporalibus tribuatur facultas.*

146

Aduerte tamen, etiamsi fortè ex parte rei non esset verè Pontifex ob hos vel similes Canones; tamen hoc ipso, quo recipitur à duabus partibus Cardinalium, esse habendum ab Ecclesia pro Pontifice, ut patet ex dicto capite Licet, & talis ratione tituli colorati, concurrente communi errore, in suis definitionibus habebit infallibilem auctoritatem, Deo illi propter commune bonum Ecclesie assistente. Vnde Ecclesia non erit incerta de suo capite; quia sciet quis ex parte rei verè sit caput, vel quis pro tali sit habendus. Sed vira harum sententiarum sit verior, non est huius loci fusiùs examinare.

Deus illi
assistet.

DVBITATIO XXVI.

Quas pœnas inducat simonia confidentiæ.

Respondeo, Infert Primò Excommunicationem Papalem utriusque parti contrahenti. Secundò, Priuationem beneficij, in quo commissæ est simonia.

147
Pœna, quas
incurrunt
confidentiarj.

Tertiò, Priuationem reliquorum beneficiorum antè obtentorum, & pensionum.

Aduerte tamen, illum non teneri hæc beneficia vel pensiones dimittere ante sententiam: quia pœna; qua quis priuatur re sua iam possessa, non debetur ante sententiam, ut docet Glossa communiter recepta, in cap. 11. Fratrnitas. 1. 2. q. 2. qua de re supra cap. 34. dub. 34. & cap. 29. dub. 8.

Quartò, Inhabilitatem ad idem beneficium, & ad cetera omnia. Hanc tamen inhabilitatem ad cetera, quidam intelligunt solum post sententiam declaratoriam criminis: & ita puto vsu receptum, vide Sancium lib. 9. de matrim. disput. 30.

Quintò, Omnia beneficia collata & accepta in confidentiam simoniacam, reseruata sunt Sedi Apostolicæ, ac proinde ordinarius collator non potest ea conferre.

Vnde sequitur, omnes illos, qui beneficia (in quibus antea à decessore commissæ fuit simonia confidentiæ) obtinent, ex alterius quàm Romani Pontificis collatione, non obtinere ea canonicè; quia non ab eo, qui poterat conferre: & consequenter posse priuari, nisi per triennium fuerint in pacifica possessione. vide tamen quæ hac de re dicta sunt supra cap. 34. dub. 9. & iuxta ea hæc limita.

Petes, Quid si solum contractus huius simoniæ sit celebratus, & neutra ex parte completus?

148
Debet contractus esse ex altera parte completus.

Resp. Tunc dictas pœnas non contrahi, ut infirmitat Nauar. supra, & colligitur ex ipsa Bulla; nam significatur, beneficium debere esse simoniacè receptum.

Notandum est, priuationem omnium beneficiorum, & inhabilitatem ad omnia, incurri in tribus casibus.

Priuatione omnium beneficiorum in tribus casibus.

Primò, In simonia confidentiæ, ut dictum est.

Secundò, In simonia commissæ in electione Papæ, ut habemus in Concil. Lateran. sub Julio I. sess. 5.

Tertiò, In simonia, quæ committitur quando examinatores ad parœcias, aliquid ab examinandis, occasione examinis accipiunt; ut statuit Concilium Tridentinum sessione 24. cap. 18. ut supra cap. 34. dubit. 16. diximus. In his tamen omnibus videtur vsu receptum, ut non teneatur quis sua beneficia dimittere ante sententiam, ut supra dictum est.

DVBITATIO XXVII.

Utrum simonia conuentionalis inducat pœnas Iuris.

Respond. & Dico Primò, Nulla simonia conuentionalis, excepta ea quæ confidentiæ dicitur, inducit ipso facto villas pœnas Iuris positur.

149

Ita

Conuentio-
nalis non
inducit
penam.

Si res spiri-
talis tra-
ditæ pretio
nondum
soluitur.

Pœna ve-
stringendæ.

150

151

Pœna re-
trorsum
aguntur.

Ita Nauarrus c. 23. nu. 104. estque ferè communis DD. præsertim recentiorum, si de ea conuentionali loquamur, quæ neutra ex parte completa est, vel de ea, in qua datum est quidem pretium, sed nondum tradita res spiritualis.

Verum non consentiunt DD. de ea, in qua res spiritualis est tradita, & pretium nondum persolutum. Nam Sorus l. 9. q. 8. art. 3. & Caietanus v. Simonia, existimant hanc inducere omnes pœnas Iuris, perinde ac si vtrumque completa esset. Ratio est, quia emptio & venditio videtur perfecta, quando res est tradita, etiam si pretium nondum sit persolutum.

Sed contrarium sine serupulo teneri potest cum Nauarro, qui id bene probat, & soluit argumenta contraria. Eandem tenent Ludouicus Gomezius, & Cassiodorus apud Nauarrum, & Couarruias in Clementinam, Si furiosus, part. 1. §. 1. num. 7. & p. 2. §. 3. numero 4. Hugolinus tabula 4. cap. 6. & alij recentiores. Probat, quia etsi forte ex rigore Iuris videantur hæc pœnæ contrahi per simoniam conuentionalem, etiam neutra ex parte completam; (eò quòd ad substantiam contractus emptio- nis & venditionis sufficit conuentio seu pactum; quia consensu perficitur) tamen iuxta stylum Curie Romanæ non censentur incurse nisi per simoniam realem vtrumque completam; vt testatur Nauarrus; non obstante Bulla Pij V. hæc de re edita, quæ non videtur fuisse recepta. Cuius ratio esse videtur, quòd pœnæ (præsertim graues, & quæ ipso facto incuruntur) quantum fieri potest, sunt restringendæ; ac proinde pœnæ constitutæ iis qui spiritualia emunt aut vendunt, restringendæ sunt ad emptionem & venditionem completam; nisi expressè contrarium significetur. lex enim puniens aliquem actum, censenda est punire actum completum. Confirmatur Extrauag. Cum detestabile, de simonia, vbi hæc pœnæ non statuuntur nisi in eos, qui conuentione facta, quomodolibet dando vel accipiendo, simoniam commiserunt. vide Nauarr. in cap. Si quando, de Rescriptis, exceptione 4. n. 3. & 4.

Ad rationem contrariæ sententiæ Respondeo, Non magis emptionem & venditionem cenferi completam, quando res est tradita nondum soluto pretio, quàm dum pretium est solutum & nondum tradita. quòd confirmatur supradicta Extrauagante, vbi hæc pœnæ statuuntur in eos, qui dando vel accipiendo pretium in Ordine vel beneficio simoniam commiserunt: ergo non magis loquitur de eo casu, in quo beneficium est traditum, quàm in quo pretium est traditum, imò magis de hoc loqui videtur.

Dico Secundo, Si tamen postea hæc simoniaca pactio vtrumque in totum vel in partem completa fuerit, incuruntur pœnæ, & retrorahuntur ad tempus pactionis. v. g. collator conuenit cum Petro 100. aureis de dando illi beneficio, & statim illud contulit, sed Petrus nondum soluit pecuniam promissam, nondum incuruntur pœnæ Iuris, nec collatio est irrita. si tamen postea etiam post menses vel annos Petrus soluerit, iam incurta censetur excommunicatio ab utroque, & inhabilitas à Petro ab initio contractus, & contractus censetur ab initio nullus, & collatio inualida, vt ostendit Nauarrus cap. 23. numero 104. Ita enim seruat stylus Curie Romanæ, cui in hac re standum, inquit ille.

Vbi Notandus est casus, in quo excommunicatio lata pendet ab euentu futuro, & posito euentu retroagitur ad præteritum, & collatio purè facta similiter est pendens, ita vt neque sit absolute valida, neque inualida; sed medio quodam & indifferenti modo se habens: posito autem euentu retrorahitur. si enim pecunia promissa soluta fuerit, collatio resoluetur, censeturque ab initio irrita, & excommunicatio & inhabilitas ab initio contracta; si autem negata fuerit, collatio ab initio iudicabitur valida, nec vlla censura aut inhabilitas videbitur contracta.

Hoc autem explicari potest aliquot exemplis. Primò, in amissione emphyteusis ipso Iure incurta; (vt si emphyteuta per triennium soluere pensionem omiserit) quæ amissa ita pendet, vt si dominus directus declaret se velle vt res illa sit amissa, iudicetur amissa cum omnibus fructibus, idque ab eo tempore, quo triennium completum est, quando res Iure in commissum cecidit. si autem non declaret se velle illam restituere, non censetur amissa, vt dictum est c. 24. dub. 8.

Secundò, In excommunicatione lata contra eum, qui statuto tempore pensionem beneficiorum non soluerit: hæc enim excommunicatio, etiam si sit late sententiæ, non censetur incurta, nisi pensionarius declaret se velle vt sit incurta. quæ declaratione posita, retrorahitur, ita vt censetur incurta iam inde ab initio, quo cœpit esse in mora; vt docet Nauarr. supra, & Giga quæstione 77. de pensionibus.

Tertiò, In statu captiui. si enim is, qui captus est ab hostibus, post aliquod tempus mortuus fuerit, censetur mortuus fuisse ab initio captiuitatis; si verò postliminio reuerfus fuerit, perinde erit ac si semper fuisset in ciuitate. itaque status eius pendet. §. Eius, qui apud hostes, iuncta Glossa, institutioni. Quibus non est permessa facultas standi.

Quartò, In venditione legati: si enim legatum venditum fuerit ab herede, & legatarius repudiet legatum, valet venditio; si autem accepter illud, & velit restituere, non valet ab initio; L. Quædam sunt, de rebus dubiis. Idem videre est in omnibus actibus, qui ab alterius rati habitatione pendunt; iuxta ea quæ diximus supra capite 21. dubit. 1.

Simili modo, in proposito pendet collatio, excommunicatio, & inhabilitas vsque ad euentum conditionis; quæ posita retrorahuntur hæc omnia. Vnde inferunt DD. eum, qui per simoniam conuentionalem beneficium obtinuit, non teneri dimittere, quia collatio non est absolute irrita, sed aliquo modo valida, dependenter tamen ab euentu futuro: quo posito, resoluetur ab initio; (sic enim habere stylum Curie Romanæ, testatur Nauarrus num. 104.) ac proinde tenebitur beneficium dimittere; eritque excommunicatus, & inhabilis ab initio.

Dices, Si excommunicatio illa & inhabilitas retrorahitur: ergo si quis post contractum simoniacum ante ejus impletionem celebret, erit irregularis; celebrat enim in excommunicatione.

Respondeo, Negando sequelam; quia hæc fictio retroractionis censura non sufficit ad inducendam irregularitatem: vt enim incurras irregularitatem ex violatione censura, requiritur vt iam

152
Excommu-
nicatio
pendens ab
euentu
futuro.
Collatio
pendens.

Explicatur
exemplis.

Amisso
emphy-
teusis.

Excommu-
nicatio.

Status ca-
ptiui.

Venditio
legati.

153

Fictio re-
troractio-
nis non in-
ducit irre-
gularita-
tem.



ante censura absolute fit incurfa ; alioquin non violas censuram : non enim potest violari quod nondum est. Confirmatur, quia appellans a declaratione excommunicationis , de qua dubitatur potest an valeat, celebrando non fit irregularis ; etiam si postea iudicetur illa declaratio legitime & vere facta ; vt docet Felinus in cap. Rodolphus 35. col. vltim. de reſcriptis. ſimiliter ignorans ſuam excommunicationem , celebrando non fit irregularis , cap. Apoſtolica. 9. de Clerico excommunicato : nempe quia bona fide egit , nec voluntarie cenſuram violauit : ergo multo minus erit irregularis in caſu noſtro, in quo cenſura nondum eſt re-
154
Inhabilitat
tamen.

154
Inhabilitat
tamen.

ipſa contracta. Hæc tamen retrotractio facit, vt ſi interim beneficium aliud collatum fuerit , collatio reddatur irrita , quaſi tunc fuiſſet excommunicatus & inhabilis. Ratio diuerſitatis eſt, quia irregularitas pertinet ad damnum, acquiſitio beneficij ad lucrum : plus autem requiritur ad damnum incurrendum, quàm ad lucrum non captandum. Vnde eſt retrotractio illa non ſufficiat ad damnum contrahendum ; tamen ad lucrum non captandum ſufficit. Simili modo ignorantia iuris excuſat ad vitandam pœnam , non tamen ad captandum lucrum ; L. Iuris ignorantia. 7. & ſequent. 7. de Iuris & facti ignorantia. Vnde collatio beneficij facta excommunicato ignorantij ſuam excommunicationem, eſt inualida ; vt docet Gloſſa in dictum cap. Apoſtolica , & Couarru. in cap. Alma. part. 1. §. 7. numero 3. hic tamen celebrando non fit irregularis. Vide Hugolinum c. 6. tab. 4.

155
Quorumdam
ſententia.

Aduerte tamen, videri quibusdam hæc retrotractionem non habere locum in foro conſcientiæ, quia Cænoſes id non ſtatuerunt, ſed ſolum in foro externo : nemo enim verè & coram Deo, eſt excommunicatus ante contumaciam, verè autem non eſt contumax, niſi cum fecerit illud, quod ſub pœna excommunicationis ei erat prohibitum. Deinde contumacia non retrahitur : ergo nec excommunicatio ; nec pœna illam ſequentes. Denique hæc retrotractio ſolum fit per quamdam fictionem iuris, vt ſic magis puniatur is qui deliquit ; & ſolum per ſtylum Curie Romanæ in quibusdam cauſis eſt introducta, quod eſt ſignum pertinere dumtaxat ad forum externum. Vnde in foro conſcientiæ pœna ſimonie non cenſetur buntur incurſe, niſi à tempore completæ ſimonie, nec retrorſum trahuntur, quare non tenebitur talis beneficiarius ad reſtitutionem fructuum interim perceptorum, nec cenſetur fuiſſe inhabilis ad alia beneficia, quam ſententiam inſinuat Nauarrus cap. 23. num. 104. §. Non ignoro, & docet Henriquez, de excommunicatione cap. 19. & mihi non diſplicet.

DUBITATIO XXVIII.

Verum pretium ſimoniace acceptum, iure diuino ſit reſtituendum.

156 **S**uppono, ſi is qui accepit pretium pro ſpirituali, tenebatur eam ex iuſtitia gratis conferre, illum iure diuino ad reſtitutionem pretij obligari : quia accipiendo pretium, non ſolum virtutem religionis ſed etiam iuſtitiam commutatiuam læſit : ſicut ſi Iudex pro iuſta ſententia, aut

teſtis pro teſtimonio veritatis, pretium exigeret, teneretur ad reſtitutionem. Hinc Parochus, cui aſſignata eſt congrua ſuſtentatio, teneretur ad reſtitutionem, ſi pro Sacramentorum adminiſtratione mercedem contra Eccleſiæ conſuetudinem exigat. Hoc poſito ſunt duæ ſententiæ valdè celebres.

Prior eſt, Eum, qui accipit pretium pro re ſpirituali, iure diuino non teneri ad illius reſtitutionem. hanc tenet Nauarrus cap. 23. n. 103. & 104. & dicit eam eſſe communem Canoniſtarum & Theologorum vſq; ad hoc tempus, eamdem tenet Couarruias ad regul. Peccatum, part. 2. §. 8. & cenſet eſſe communem. & Petrus Nauarra lib. 2. cap. 2. num. 406. Silueſter v. Simonia, quaſt. 20. in principio. Victoria de ſimonia part. 2. num. 4. Caietan. artic. 6. & in Summa v. Simonia, cap. 3. ſub ſinem.

157
1. Sententia, non teneri ad reſtitutionem.

Probatur Primò, Quia accepta per ſimoniam mentalem non ſunt iure diuino reſtituenda : ergo neque accepta per ſimoniam externam. Conſequentia probatur, quia eodem titulo pretium accipit ſimoniacus externus, quò internus, parumque refert vtrum id verbis exprimat, an ſola mente.

Antecedens probatur ex cap. fin. de ſimonia, vbi Gregorius I X. à Legato ſuo conſultus, Vtrum Monachi ſimoniace recepti, qui pretium dederant, & Abbates, qui receperant, teneantur ad reſtitutionem, & reſignationem ſic acceptorum; reſpondet, Ad reſignationem ſpiritualium & temporalium, qua nullo pacto, ſed affectu animi, vtrumque taliter acquiruntur, (in quo caſu delinquentes ſufficit per ſolam poenitentiam ſuo ſatisfacere creatori) eos pro ſimonia cuiſmodi non teneri, ex qua reſponſione Pontificis euidenter colligi videtur, ſimoniacos internos non teneri ad reſtitutionem, nec temporalium acceptorum pro ſpiritualibus, nec ſpiritualium acceptorum pro temporalibus. Ideo autem Pontifex dicit eos non teneri, quia iure diuino naturali non obligantur; Eccleſiaſticum enim in hoc caſu locum non habet : quia non ponit ſimoniam internam, nec irritam reddit talem conuentionem, ſed ſolum externam. Addit Caiet. v. Simonia c. 3. reſponſum Pontificis vniuerſè de omni ſimonia intelligendum.

Cap. fin. de ſimonia.

Probatur Secundò, Si iure diuino deberet reſtitui, Pontifex non poſſet diſpenſare in retentione pretij ; quod tamen eſt contra præxim, vt patet Extrauag. Sanè, in communibus de ſimonia, vbi Urbanus I V. diſpenſat vt accepta pro Religionis ingreſſu retineantur.

Tertiò, Qui exigit pretium pro re ſpirituali, quam ex officio ei preſtare non tenebatur, non facit illi iniuriam : nam res, quæ datur, digna eſt pretio ; & is, cui datur, non habet ius exigendi illam gratis à tali ; ſed ſolum fit iniuria Deo, & rei ſpirituali, vti diſtinctum eſt. Vide Victoriæ ſupra.

Alterà ſententia eſt, Simoniacum iure diuino ad reſtitutionem pretij teneri. Ita tenet Henricus quodlibet. 6. quaſt. 26. Adrianus quodlib. 9. art. 3. littera H. Sotus lib. 9. quaſt. 8. artic. 1. Bartholom. Medina lib. 2. Summa, cap. 14. §. 21. Ioannes Medina quaſt. 4. de uſura reſtit. §. Ided videntur. Hæc ſententia vltimò probatur, adhibita tamen diſtinctione, vnde dicitur.

158
2. Iure diuino teneri.

Dico Primò ; Si quis in gratiam alterius priuet ſe aliqua re ſpirituali, & pro incommo do quod inde patitur

Acceptum
pro damno
non tenetur
restituere.

patitur compensationem temporalem exegerit; non tenetur iure diuino ad restitutionem. Et quidem si incommodum sit temporale, ut cum quis se spoliat suo beneficio, & in alterum resignat, res videtur clara. Hoc enim damnum per se est pretio estimabile, ac proinde nulla erit iniuria, si pro eo exigatur compensatio. Idem dicendum de omni alio iure vel re spiritali, ex cuius priuatione incommodum temporale in honore vel fortunis obuenit. Verum si res illa spiritalis nullum commodum temporale annexum habeat, ita ut eius priuatione iustitias solum incommodum spirituale; res est magis obscura. Tamen adhuc valde probabile est, te iure diuino non teneri ad restitutionem, si pro eo incommodo quid acceperis. Ut si Reliquias Sanctorum vel corona benedicta te priues, nec similia possint recuperare. Probat, quia nemo in me ius habet ut sua causa teneat talia damna gratis subire: ergo non facio illi iniuriam exigendo compensationem temporalem; maxime cum priuare se bonis spiritalibus, sit magnum damnum subire. Confirmatur, quia is, qui causa alterius subit damnum temporale, potest exigere compensationem: ergo etiam qui subit damnum spirituale, quod est maioris momenti, & magis vitandum, non peccabit, saltem contra iustitiam.

Dices, Ergo licebit Reliquias vendere.

159 Respondeo, negando consequens, quia agitur contra reuerentiam sanctitatis illarum debitam, dum pretio humano aestimantur. non tamen fit iniuria illi, a quo pretium exigitur; quia ius non habet ut sibi gratis dentur. quare multo magis si tibi per vim auferrentur, nec valeres recuperare, posses absque vlla iniuria exigere aliquam compensationem pecuniariam, iudicio prudentis taxandam, pro damno accepto. qui enim damno per iniuriam affectus est, potest exigere compensationem huiusmodi, qualem spes est posse obtinere, vel oblatam acceptare.

Vnde sequitur, Regem Burgundiae non fuisse obligatum ad restituenda ea, quae ipsi Imperator Henricus Primus dedit pro lancea in qua clauus vnus Dominicae crucis continebatur, quam precibus & minis ab eo extorserat, ut scribit Sigebertus ad annum Domini 929.

Dices, Incommodum spirituale non potest aestimari: ergo iniquum erit si aliquid temporale pro eo exigatur. Respondeo, Dicitur non posse aestimari, non quasi sit infra omne pretium, sed quia per se omne pretium excedit, utpote superioris ordinis. Sicut incommodum infamiae est inestimabile, tamen non est contra iustitiam exigere pro eo compensationem temporalem, si causa alterius sustineatur, vel si famam iniuste abstulit, & nolit restituere; quo casu potest absque iniustitia exigere quantum in animo suo hoc incommodum aestimat, ut si mallet amittere 100. aureos quam illud incommodum sustinere.

160
Si res spiri-
talis habet
commodum
temporale.

Dico Secundò, Conferens pretio aliquid spirituale, quod annexum habet commodum temporale, iure diuino non tenetur ad illius pretij restitutionem: ut si quis Canonatum, Decanatum, Episcopatum venderet, si ad Religionem pretio admitteret: & in hoc casu sentio priorem sententiam esse veram. Et satis probari potest ex cap. illo finali, de tali enim casu loquitur Pontifex, admissio enim in Religionem, coniunctum habet commodum alimentorum per totam vitam, quod sanè magno pretio

apud homines aestimatur. si tamen hoc pretium esset iudicio prudentis excessiuum, ille excessus iure naturae esset restituendus; quod eo ferè modo in beneficiorum, quo in officiorum saecularium venditione definiendum esset.

Dices, Collatores non sunt domini beneficiorum, sed solum dispensatores: atqui dispensator tenetur gratis dispensare bona domini sui, praesertim quando pro officio suo stipendia assignata habet: alioquin pro eadem re duplex stipendium acciperet. collatores autem beneficiorum habent amplissima stipendia, ratione quorum tenentur munia Ecclesiastica (inter quae est collatio beneficiorum) obire: ergo si aliquid amplius acceperint, iure diuino tenentur ad restitutionem.

161
Obiectio.
Collatores
sunt dis-
pensatores.

Respondeo, Tenetur quidem dispensator gratis dispensare ut non peccet; non tamen ita ut semper teneatur ad restitutionem, si gratis non fecerit: tum quia ordinariè stipendia illa non sunt ei assignata pro munere collationis, sed pro aliis functionibus Ecclesiasticis; sicut Regi non dantur tributa pro munere distribuendi officia Reipub. sed pro regni administratione; tum quia non exigit illud pro illa functione, veluti mercedem illius operis; sed veluti compensationem pro emolumento, quod tibi conferre non tenebatur. Simile accidit in venditione officiorum. Quod enim exclusis aliis te praeferat, & suum affectum ad te determinet, magno pretio est aestimabile. Vnde saepe munera non parua offerri solent ad affectum alterius alliciendum. Deinde priuat se potestate alteri gratificandi, a quo forte maiorem beneuolentiam & gratitudinem expectabat. Adde, non videri dubium, quin non sit contra iustitiam, si Ecclesia permittat. Sicut venditio officiorum publicorum non est contra iustitiam, permittente Regno vel Rege permissionem Regni habente. Quia dominus potest permittere suo dispensatori in rebus maximi emolumenti, ut aliquam compensationem ab iis, quos tanto beneficio afficit, exigat. Hanc tamen assertionem intellige de supremo collatore, qui est Pontifex; & de inferioribus, hoc supposito, quod eis per Superiorem non sit potestas alicuius compensationis & emolumenti exigendi adempta. si enim haec adempta sit, tenebuntur iure diuino ad restitutionem. vide supra dub. 2. & 4.

Dico Tertio, Si quis pretio conferat aliquid spirituale absque suo incommodo, quod non habet annexum commodum temporale, (ut sunt Sacramenta & sacramentalia) iure diuino tenebitur ad restitutionem pretij, nisi vel putetur gratis donatum, vel non excedat rationabile stipendium sustentationis. Hanc tenent Auctores secundae sententiae.

162
Si res non
habet com-
modum tem-
porale an-
nexum.

Probat, Quia tales res spirituales non habent aliquid temporale, ratione cuius iudicio communi possint censeri tanti vel tanti valere; ac proinde naturam suam postulant ut gratis dispensentur: & ex altera parte fideles habent ad illas ius diuinitus concessum, ut a ministris Ecclesiae possint eas petere, nec ad aliud teneantur, quam ad ministrorum sustentationem: ergo si ministri aliquid amplius exigant, tenentur iure diuino ad restitutionem. si enim ministri illas dispensantes non habent ius nisi ad alimenta (eò quod non sint domini, sed dispensatores tantum) euident est, eos non tantum rei spiritali vel Deo facere iniuriam, sed etiam in proximum committere iniustitiam, si amplius

Fideles so-
lunt venen-
tur ad sus-
tentacio-
nem.

amplius exigant; & consequenter teneri ad restitutionem eius, quod supra alimenta acceperint. Rursus, si fideles pro administratione omnium Sacramentorum & sacramentalium Iure natura non tenentur nisi ad ministrorum congruam sustentationem, iniuria illis fit, si amplius ab eis exigatur, ac proinde Iure natura restitui debet.

163
Res spirit.
superant
omne pre-
tium.

Secundò, Res spiritales superant omne pretium: ergo quantumuis magnum pretium quis exegerit, Iure diuino non tenebitur ad restitutionem. non enim est ratio cur magis teneatur ad restitutionem si multum exegerit, quam si parum, si utrumque superat congruentem sustentationem ministri, & utrumque detur non liberaliter, sed quia aliter res spiritualis, qua eget, obtineri nequit. Vnde si quis exegisset decem millia aureorum pro baptismo, absolutione, vel communione, non teneretur ad restitutionem: quod sanè absurdum est. quis enim non iudicet illum iniquè extorsisse tantam summam, eamque solum datam quasi redimendam vexationis causa? Confirmatur, quia qui illam dedit, potest eam repetere tamquam iniuste exactam, & vti occulta compensatione, si alia ratio non suppetit recuperandi.

Obiectio 1. Dices, Iste minister non tenetur hoc Sacramentum ex iustitia huic administrare, cum non sit eius Parochus, vti suppono: ergo non facit huic iniuriam, si pro eo pretium exigat, modò non amplius exigat, quam res valeat: sicut si non teneor tibi ex iustitia dare panem in extrema necessitate, non facio tibi iniuriam, si pro eo pretium exigam, nisi si amplius exigam quam valeat.

Solutio.

Respondeo, Negando consequentiam: etsi enim non teneatur ex iustitia conferre, si tamen conferre velit, vel si contulit, tenetur ex iustitia non amplius exigere, quam stipendium sustentationis: ad amplius enim ius non habet. Neque simile est de pane, quia non teneor panem tibi dare gratis si habes quo soluas; est enim res natura sua & recepto hominum vsu vendibilis.

164
Obiectio 2.

Dices secundò, Qui soluit pretium pro Sacramento, soluit illud voluntariè: ergo transfert dominium: etsi enim mallet habere gratis, tamen omnibus consideratis, absolute vult illam pecuniam soluere: vnde cum hoc Sacramentum non sit ei ex iustitia debitum, & aliàs plus valeat, censetur factis voluntariè dare ad dominium transferendum.

Respon.
Non datur
voluntariè,
nisi voluntate
per iniuriam ex-
sorta.

Respond. Primò, Illud voluntarium esse extortum per iniuriam; (ideò enim vult dare, quia exigatur; in illa autem exactione est iniuria: sicut cum quis exigit aliquid pro eo, quod gratis facere tenebatur) ac proinde non ita transfert dominium, quin possit repetere. imò alter sponte tenebitur restituere, propter iniuriam, qua extorsit. Secundò, Negari potest transferri dominium; quia non intendit donare, sed solum soluere quatenus debet, seu quatenus alter iuste potest exigere; non enim intendit cedere iure suo quod habet, vel alteri dare amplius iuris quam habet: sicut qui soluit vsuras, non transfert dominium; quia non intendit vsurario plus iuris dare, quam ei debeatur: vt enim ibi deest titulus cur soluantur vsurae; ita hie deest ius ad pretium exigendum.

165
Ad argu-
menta ini-
uria allata.

Ex dictis facile est soluere argumenta alterius sententiae.

Ad Primum; Illud caput variè à DD. explicatur. Vide Sotum l. 9. q. 8. art. 1. ad sextum, vbi aliquot expositiones refert, & refutat: deinde ponit

suam nihilo meliorem, quam fusè refutat Petrus Nauarra; & merito, quia omnino falsa. Sed dicendum breuiter, Pontificem loqui de admisso ad Religionem pro pecunia, & hanc pecuniam non esse necessariò restituendam, nempe quia retineri potest à Monasterio pro alimentis Religiosi: nulla autem erat ratio vniuersè de omni simonia respondendi, quidquid Caietanus & alij dicant: quia non nisi de certa specie rogabatur: cur enim Pontifex sine vlla necessitate de re tam obscura vniuersè definiat?

Ad Secundum Respondeo, Pontificem non posse dispensare in retentione pretij, nisi quando res spiritualis aliquid temporale annexum habet pretio aestimabile, vel quando incommoda coniuncta eius alienationi, iuxta primam & secundam propositionem.

Ad Tertium: Satis constat ex dictis, eum, qui pretium exigit sustentationem superans, iniuriam facere; & quamuis alter non habeat ius vt sibi conferatur omnino gratis, non tenetur tamen amplius dare, quam quod ad conuenientem sustentationem pertineat.

DUBITATIO XXIX.

Vtrum res spiritualis per simoniam acquisita, sit Iure diuino dimittenda.

Q Vidam DD. sentiunt esse dimittendam. Ita 166
Adrianus quodlib. 9. art. 3. littera I. Armacanus ubi. 10. quæstionum Armeniacarum c. 23. vbi generatim docet, quoties peccatum dat causam prouisioni, prouisioni teneri beneficium sic acquisitum resignare, vt si ambitione, mendacio, hypocrisis, vel adulatione adeptus est.

Sed communis ferè sententia DD. est, non teneri Iure diuino resignare. vide Nauarrum c. 23. n. 103. & 104 & Couarr. reg. Peccatum p. 2. y. 8. Probatur de beneficio, de quo potissimum est difficultas, huius enim collatio fuit valida: nam in collatore fuit potestas & voluntas transferendi beneficij, v. g. in Petrum, & Petrus fuit capax, & habuit voluntatem acceptandi. hæc autem in quauis re sufficienti ad transferendum dominium, seu ius in re. Nec obstat Primò, Quòd aliquid pro illa translatione sit datum; quia etsi hoc sit contra honorem diuinum, non tamen adimit collatori potestatem conferendi, nec collatarium reddit incapacem ad acceptandum, vt patet in Sacramentis. Secundò, Per alia peccata homo non efficitur Iure diuino incapax beneficij: ergo neque per peccatum simoniae: ergo non tenetur resignare, modò peniteat eum peccati. Tertio, Si talis collatio esset irrita, sequeretur, eum, quo ignorante & prohibente simonia commissa est, teneri ad restitutionem, (quia obtinet per simoniam) quod tamen falsum esse constat ex cap. Sicut tuis litteris, de simonia. Quarto, Professus per simoniam est verè Religiosus, vt omnes docent: ergo etiam consecutus beneficium per simoniam, est verè beneficiarius, secluso Iure positiuo. Quintò, Probatur allata ratione. Ideò tenetur venditor rei spiritualis restituere pretium, quia per iniuriam exegit: atqui hæc ratio non habet locum in emptore, quia emptor nullam iniuriam facit venditori, si pretium offerat pro re spirituali: ergo non tenetur eam restituere. Dices

Obiectio.

Dices Primò, cap. 116. Si quis. 1. q. 1. Gregor. I. significat, eum, qui simoniacè sacerdotium vel dignitatem accepit, nisi sponte reliquerit, in æternum perituum.

Respon.

Respondedo, inde non sequitur, eum Iure diuino teneri resignare beneficium, aut esse suspensum ab executione sacerdotij; sed Iure Ecclesiastico valde antiquo, quod iam tempore Gregorij vige-
bat.

167
Obiectio.

Dices Secundò, Ille accepit contra voluntatem Domini, qui sicut iubet gratis dari, ita etiam vult gratis accipi: ergo non potest retinere.

Respon.
Non retinetur contra Domini voluntatem.

Respond. Neg. consequentiam. etsi enim collatio & acceptio simoniaca sit contra Domini voluntatem; (quia cum sit, absque debita reuerentia tractatur res spiritualis, dum in stat rei profanæ cum temporali commutatur) tamen postquam facta est, in retentione non est iniuria, nec agitur quidquam contra Domini voluntatem, modò debite administratur, sicut qui Ordinem sacrum accepit in peccato, accepit illum contra Domini voluntatem, tamen non fungitur eo contra Domini voluntatem, vbi peccatum illud pœnitentiâ deleuerit.

DVBITATIO XXX.

Utrum omne id, quod simoniacè acceptum est, Iure Ecclesiastico debeat restitui.

168
Solum beneficium dimittendum.

Respondedo & Dico Primò, Si loquamur de re spiritali simoniacè accepta, non tenetur eam restituere; nisi sit beneficium Ecclesiasticum: hoc enim debere dimitti Iure Ecclesiastico, patet Extrauag. Cum detestabile, de simonia. Sub beneficio autem pensionem spiritalem comprehendunt, quia videtur eadem ratio, maximè vbi Bulla Pij V. recepta. Sed contrarium verius quia pensio non est verè beneficium Ecclesiasticum, cum non sit ius perpetuum; nam extinguitur cum pensionario, utpote fauor personalis, vt dictum est supra cap. 34. num. 3. Cetera autem spiritalia vel dimitti non possunt, vt sunt Sacramenta; (nisi quoad vsum, quod solum habet locum in Ordinibus, à quibus simoniacè ordinatus suspenditur) vel non sunt dimittenda ante sententiam, quia Canones aliud de illis non statuerunt. sic simoniacè admissus in Monasterium, non tenetur illud ante sententiam dimittere. Idem puto dicendum de Reliquijs simoniacè comparatis, metallis benedictis, iure patronatus, licentia eligendi confessarij &c.

Obiectio.

Dices, Omnis pactio in spiritalibus est irrita, & nullius momenti; vt habetur cap. fin. de pactis, & cap. Praterca, de transactionibus, & alibi.

Respondedo, inde tantum sequi, rem spiritalem, qua restitui potest, esse restituendam, si repetatur, & pretium pro ea datum restituatur; non autem altero non repente, aut nolente pretium reddere: etsi enim pactum sit irritum, non tamen obligat ad mutuam restitutionem cum damno partis, nisi Superior in pœnam cogat.

169
Pretium restituendum.

Dico Secundò, Quod ad pretium atiner, illud Iure positiuo restituendum.

Primò, Si acceptum pro beneficio, vt patet cap. De hoc, de simonia. vbi Alexander III. Toletano Archiepiscopo scribens ait: Regem & Principes eius debes inducere, vt si qua receperint à presato

Episcopo, vt eius electioni præstarent assensum, Ecclesia Exoniensis sine diminutione restituant, cum ea sine graui suæ salutis periculo retinere non possint.

Secundò, Si acceptum pro collatione Ordinum, vel aliorum Sacramentorum, aut sacramentalium; & notabiliter excedat id quod pro sustentatione exigi poterat, iuxta ea quæ diximus dubit. 28. Sed hoc Iure diuino potius quàm Ecclesiastico restituendum. Imò Ius Ecclesiasticum nihil inuenitur ea de re disposuisse.

Tertiò, Si acceptum pro admissione in Religionem; cap. Veniens. 19. de simonia. vbi Pontifex mandat, vt Abbas & Monachi compellantur restituere id quod acceperant à quodam, vt eum in Monachum admitterent. Puto tamen eos ad hoc non teneri ante sententiam, si admissus in eo Monasterio permaneat; quia ratione alimentorum videtur posse retineri. Quod confirmatur, quia restitutio ante sententiam esset facienda ei qui admissus est, vel parentibus, qui eius nomine dederunt; atqui hi consentiunt vt pro alimentis retineatur. Adde, Urbanum IV. Extrauag. Sanè, in communibus de simonia, permittere vt sic acceptum retineatur, modò non in priuatum vsum Abbatis vel Abbatissæ, sed in communem vsum Conuentus conuertatur.

Non tamen ante sententiam, si pro admissione ad Religionem.

DVBITATIO XXXI.

Cui debeat fieri restitutio pretij, & an ante sententiam Iudicis.

Supponò, si aliquid temporale acceptum sit pro conferendo beneficio, vel alia re spiritali non secuta collatione, Iure naturæ restituendum ei à quo acceptum est. Ita Victoria, relectione de simonia, p. 2. n. 6. Caiet. v. Simonia, c. 3. Sotus l. 9. q. 8. ar. 1. ratio est manifesta; quia deest titulus cur possit retineri, cum illud, pro quo datum est, non præstetur, ac proinde debet reddi ei à quo acceptum; cum Iura non iubeant alteri dari. Conarruias tamen ad regul. Peccatum, p. 2. §. 2. nu. 7. in fine, putat restituendum in pios vius, sed solum probat, non posse repeti in foro externo.

170
Datum, vt spiritali non tradita, restituendum danti.

Si verò beneficium sit traditum, ita vt vtriusque simonia sit completa, sunt duæ sententiæ DD. Quidam enim putant, pretium acceptum in hoc casu ante sententiam Iudicis esse restituendum ei qui dedit; post sententiam, cui Iudex addixerit. Ita Sotus lib. 9. quæst. 8. art. 1. Bañes 2. 2. quæst. 32. art. 7. & multi DD. huius ætatis. Ratio est, quia is, qui pretium dedit, non amisit pretij dominiũ: non enim transtulit eius dominium in venditorem rei spiritualis; cum hic Iure sit factus incapax illius domini hoc titulo capiend: ineq; ille intendit à se abdicare dominium alia ratione, quàm transferendo in venditorem: ergo eum in hunc non sit translatum, verè mansit apud emptorem: ergo illi restituendum. Si dicas, Ecclesiam illum priuasse dominio; Respondent, Talem priuationem non fieri nisi per legem pœnalem, qua neminem ante sententiam ita re sua priuat vt eius dominium amittat. Hæc sententia non est improbabilis.

171
Sententia art. 7. & multi DD. huius ætatis. Ratio est, quia is, qui pretium dedit, non amisit pretij dominiũ: non enim transtulit eius dominium in venditorem rei spiritualis; cum hic Iure sit factus incapax illius domini hoc titulo capiend: ineq; ille intendit à se abdicare dominium alia ratione, quàm transferendo in venditorem: ergo eum in hunc non sit translatum, verè mansit apud emptorem: ergo illi restituendum.

Contraria tamen, id est, etiam ante sententiam Iudicis pretium illud esse restituendum Ecclesie, est multò probabilior & verior. Tenet D. Thomas 2. 2. q. 32. art. 7. vbi dicit, pretium simoniacum non

Altero verior, esse restituendum Ecclesie.

non esse restituendum danti, sed in eleemosynas erogandum. Idem expressè docet q. 62. ar. 5. ad secundum. neque intelligit post sententiam Iudicis, sed absolute; explicat enim de quibus possit fieri eleemosyna. Silvester v. Simonia, q. 20. dicit esse dandum Ecclesie, in cuius iniuriam simonia est commissa; nisi Episcopus & Capitulum sit particeps simonie; tunc enim dandum pauperibus, vel alteri Ecclesie. Couar. ad reg. Peccatum, p. 2. §. 2. nu. 7. dicit hanc esse communem DD. sententiam. Idem tenent Victoria & Caietanus supra. Deniq; DD. omnes, quod sciam, qui fuerunt ante Sotum; Canonistæ in cap. De hoc, & cap. Audiuius. 41. de simonia. Probatur ex dicto cap. De hoc. 11. vbi Pontifex aperte dicit, Regem & Principes inducendos ut restituant Ecclesie; loquitur autem ante sententiam, & in foro conscientie; & cap. Audiuius, eodem tit. vbi præcipit ut Episcopi, si aliquid exegerint ut permittant in Ecclesiis sibi subiectis Clericos institui, Monachos profiteri, mortuos sepeliri, restituant duplum, applicandum in utilitatem loci, in cuius dispendium id factum. Intelligit ante sententiam. quia ordinariè non est Iudex, qui Episcopus de his condemnet. & ita parum vtilis esset illa constitutio. Tertiò, Contra mentem Ecclesie est ut restituatur danti; quia Ecclesia intendit utrumque puniri. Nec obstat, quòd pœna non dicatur deberi ante sententiam; quia quòd ille teneatur rem illam, quæ sua non est, dare Ecclesie, vel expendere in pios vsus, non est pœna, sed simplex præceptum: cum enim non possit eam retinere, graue non est ei quòd debeat illam tali modo expendere. Similiter non obstat, quòd non sit vlla constitutio Ecclesie, qua dans, hoc ipso quo dat,

172
Ad argu-
mentum.

amittat dominium, quia id non esse necesse: fateor enim manere dominium apud dantem; & idèd si ei restituatur, posse retinere, quia non ipse, sed qui accepit, iubetur in pios vsus expendere: vnde non priuatur dominio vi legis immediatè, sed actu & restitutione facta per accipientem, ex præcepto legis. Lex enim potest iubere, ut rem alienam, quæ apud te est, expendas in pauperes, quando iusta causa subest, & hoc ipso, quo datur pauperibus, prior dominus amittit dominium. hæc est mens Canonum citatorum.

Dices, Cap. Veniens, de simonia, pretium iubetur restitui illi, à quo acceptum, nempe Monacho simoniacè recepto, qui illud dederat.

173
Fructus
cui resti-
tuenai.

Respondeo, Id idèd factum, quia ille absque culpa dederat, (fuerat enim pecunia ab eo pretextu consuetudinis exacta) & volebat se ab eo Monasterio expedire; vt rectè Couarruias supra, & Huguolinus cap. 2. §. 1. tabul. 4. quòd si ipse peccasset, non fuisset ei restituta, sed fuisset conuertenda in vsus Ecclesie Monasterij, vel potiùs in eleemosynam pauperum.

Petes, Cui sunt restituendi fructus percepti ex beneficio simoniacè accepto?

Respondeo, Hi fructus restituendi sunt, etiam ante Iudicis condemnationem; quia ex re aliena non bona fide percepti. restituendi autem sunt vel ærario Apostolico; vnde super illis potest fieri compositio cum Pontifice; vel Ecclesie; vel in pios vsus, vt docet diuus Thomas artic. 6. ad quartum: vel etiam successori, vt docet Nauarrus libro 5. consil. 62. de simonia. puta, vbi est consuetudo vt fructus beneficij vacantis dentur successori.

174

SECTIO SEXTA.

DE RELIGIONE.

Religio pri-
ma pars
Iustitiæ.

EXPLICATIS ijs quæ ad Iustitiam strictè acceptam pertinent, sequitur vt agamus de Religione, quæ inter partes Iustitiæ primum locum obtinet. Est enim Religio, vt hic accipitur, Iustitia quadam creaturæ ad Deum, qua ipsa suo creatori debitum cultum & honorem persoluit. vnde ipsa primum & summum debitum, quod in homine nasci potest, respicit, hominemque inclinat, vt illud, quantum fieri potest, suo auctori exsoluat. Aliquando accipitur pro statu eorum, qui certis votis obstricti sunt Deo, de quo infra suo loco. Continebit ista sectio capita decem. Primum erit, De religione in genere. Secundum, De oratione & laude Dei. Tertium, De sacrificio & adoratione. Quartum, De decimis. Quintum, De voto. Sextum, De statu Religioso. Septimum, De iuramento & adiuratione. Octauum, De superstitione, eiusque speciebus. Nonum, De magia. Decimum, De irreligiositate.